Z^d 96.
Barbet
46 a coll. compl. 2 works in 1 vol
1) 12°. [xxiv], 278. [118, 280] pp.
engr. title
W. 1086
2) 12°. [xx], 752 pp.
George Fournier, S. J.
[Caen 1595 - La Flèche 1652]



John Carter Brown
Library
Brown University



Apud Ludovicum Elzevirium.
Cum Privilegio.

PRIVILEGIE.

EEn yder werdt verbooden by Octroy van de Heeren Staten Generael, in dato den 26 Martii 1643, en de bygevoeghde Attache van wegen de Provincie van Hollandt, vergunt aen Louys Elzevier, Boeck-verkooper tot Amſterdam, dit teghenwoordigh Boeck, geintituleert: Abrahami Gölnitzi Compendium Geographicum; binnen den tijdt van negen Iaren, directelijck oft indirectelijck, in 't groot ofte kleyn, te drucken ofte te doen drucken, ofte elders gedruckt in deſe Provincien, ofte 't reſort van dien, te brengen, te verkoopen, ofte uyt te geven, zonder conſent vanden voorſz. Elzevier, op de verbeurte van de naergedruckte exemplaren, ende hondert vijftigh Carolus guldens, zoo by den drucker, als den verkooper, te verbeuren; t' appliceren als naerder by de Originele Octroyen te ſien is.

RPJCB

Illuſtris & Magnifici Domini

Collegij Regij Argentinensis Societ. JESU.

CHRISTIANI THOMÆI,

Sereniſſimi Danorum Regis

Cancellarii Magni,&c:

Ex dono R.P. Petri Robinet Societatis JESU

Generoſiſſimo Filio

Regi Catholico a Confessionibus.

AXELIO SEHESTEDT,

Salut. & felic. prec.

ABRAHAM GÕLNITZ.

DIfficile & impeditum, ut loquitur Mela, opus eſt, *Generoſiſſime Adoleſcens*, explorare & planum reddere orbis ſitum: Nam tria occurrunt impedimenta, quæ faciunt, quò minus plenam & exactam terræ notitiam vel veteres olim habuerint, vel nos hodieque habeamus. Primum eſt *perpetua gentium migratio*; ſecundum, *peregrinationum difficultas*; tertium, *veteris hiſtoriæ penuria, defectus & inconſtantia.*

Gentium frequens migratio & domi-

ciliorum mutatio effecêre , ut regionum , urbium , fluviorum , montium, populorum nomina toties ſint immutata. Ex hac confuſione fit , ut veteres ambigant, diſputent & diverſimodè doceant , quiſnam veterum locus hodiernis reſpondeat , hæc ne hodierna urbs cum illa veteri eodem loco ſit condita ; hicne fluvius hodie ab iſto quid diſcrepet veteri ? Hinc error provenit in limitibus regionum, num ii ritè ſe habeant, necne; alius hunc terminum, alius alium ponit , unde multum incommodi ſentiunt ii; qui in hoc ſtadio currentes, facilè retardari poſſunt , aut in deviam viam abduci.

Peregrinandi verò moleſtia , difficultas & neglectus quanto in orbis cognitione indaganda veteribus impedimento fuerit , vel ex hoc fundamento comparet. Peregrinandum ſiquidem erat vel *maritimo* vel *terreſtri itinere. Maritimum iter* exigebat magnetem , cujus uſu deſtituebantur multis demùm ſæculis poſt natum Chriſtum invento; carebant iidem pixidis nauticæ artificio, cujus ignorantia vaſto pelago ſeſe committere non audebant. [Obiter hic inſerere

rere quædam placet de admirabili pixidis nauticæ fabrica, cujus conſideratio liberalibus ingeniis grata & digna eſſe debet. Pixis Nautica, inquit magnus aliquis Philoſophus, inter omnia, quæ homines fabrefecerunt & uſurparunt inſtrumenta, maximè omnium admiratione digna eſt, ut Clariſſ. Philoſophus *Cardanus lib.* 17. *de artibus & artificioſis rebus* meritò dicat: *Inter cætera inventa primam admirationem deberi pixidi nauticæ, quippe quâ tot ſulcantur maria, veteribus nec navigata, nec nota, & cui tot hominum ſalus, tantæ varietates mercium, tanta pecuniæ vis creditur. Ipſorum Regum & Principum vita committitur vaſculo tam parvo, virgulæve, imò acui modicæ. Nec ſolùm ſufficeret hoc credidiſſe, niſi ea nos regat & doceat, lapiſque ſenſus expers, tot viris ſapientiſſimis oculatis, atque auritis præſtet.* Huic ſuffragatur *Bodinus cap.* 7. *meth. hiſt.* inquiens: *In tota rerum natura nihil eſt admirabilius Magnete eſtque uſus ejus planè divinus.*

Inventor hujus pixidis ante annos CCCXL aſſeritur *Flavius* quidam *Melphi* Italus Campaniæ provinciæ in re-

gno Neapolitano qui fuit incola. Ejus vero fabrica talis eſt; Pixis, ſeu vaſculum ligneum, planum & rotundum eſt altitudine trium vel 4 digitorum; in quo vaſculo ſub lamina vitrea rotula quædam eſt papyracea verſatilis, quam ferramentum quoddam tenue & veluti bipartitum ſuſtinet, in centro ænea quædam acuminata turricula defixa eſt, quæ ſtylo ſeu cuſpidi acutæ inſidet, unde hinc inde in æquilibrio conſtituta rotula moveri poteſt; ubi verò quieſcit, ejus pars, quæ lilii imagine inſignita eſt & in qua ferramentum magnete confricatum deſinit, Septentrionem & polum Arcticum oſtendit, quocunque etiam obtorto clavo navis impellatur. Rationem verò hujus motus Septentrionem verſus nemo adhuc dedit. (Hic motus eſt unus è ſecretis naturæ, *qui ſunt* IV; *motus cœli, motus terræ, motus cordis, & motus magnetis.*) In dictæ rotulæ circulo, 32 à centro ad circumferentiam ductæ ſunt lineæ, æqualiter à ſe invicem diſtantes in hunc uſum, 1, ut deſignent cœli cardines & ventos, quos 32 vulgariter numerant nautæ, 2, ut terræ ac maris ſpatia celebrioribus partibus diſtincta

ſtincta per gradus, in quos lineæ incurrunt, denotent. Quinque autem ſunt, quæ facilimè pixidem nauticam & magnetem corrumpunt; 1 *pulvis*, 2 *adeps*, 3 *allium*, 4 *cæpe*, 5 *pixis rimoſa*. Vnde diligentiſſimè pixidem hanc nautæ aſſervant, muniunt, obducuntque vitreo aliquo orbe, quia facilè corrumpi poteſt vel pulvere inſperſo, vel pinguedine, vel etiam ſi rimis hiet & aërem admittat, quibus vis magnetica diſſipatur & exhalat. Vide *Petrum de Medina lib.* 6. *rei naut. cap.* 1.] Deſtituti itaque veteres pixidis nauticæ uſu, curſum dirigebant ad Vrſam majorem vel minorem, quæ ſtellæ, cum obductæ nubium caligine non apparerent, ignorabant nautæ, ubi terrarum & gentium verſarentur.

Et hæc prima cauſa fuit, quæ veterum maritimum iter ſufflaminavit; altera, quod eo tempore naves tantùm actuariæ in uſu fuerint, id eſt, tales quæ remis agebantur, ſine remis enim navigare non poterant, ut conſtat è *cap.* 1. *Ionæ ver.* 13. Tertia, quod mare Mediterraneum, vix autem aliud veteres auſi fuerint ingredi & obnavigare, relicto Oceano Occidentali. Quarta quod oras & li-

tora tantùm maris legerint, medio mari non facilè ſeſe committentes, ut ex navigatione *Pauli Act.* 27 videre eſt.

Terreſtre iter non minus iis difficile fuit, nam non audebant Africæ partes & oras omnes inviſere, partim ob venenatas beſtias ibidem oberrantes; partim ob ingentes aridarum arenarum tumulos, quibus vento commotis & in altum ſublatis peregrinantes, imò ingentes exercitus ſæpe oppreſſos, tectos & ſepultos fuiſſe legimus, teſtibus *Strabone, Herodoto* & aliis Hiſtoricis. Hancque cauſam non ultimam eſſe affirmare audeo, quod tanti defectus apud veteres ſcriptores *Eratoſthenem, Strabonem, Plinium, Ptolomæum, Solinum, Dionyſium, Melam* & alios in Geographia reperiantur.

Si ſanè peregrinationis olim, ut noſtris temporibus frequentatæ fuiſſent, *Ptolomæus* majorem terræ longitudinem quàm 180 graduum, & latitudinem quàm 80 grad. inveniſſet & annotaſſet: neque idem Auctor ultimum terræ terminum verſus occaſum inſulas Fortunatas ſeu Canarias poſuiſſet. Nec *Mela l.* 1. *Geogr. c.* 2. aſſeruiſſet,

Aſiam

Aſiam tantum ſe in latitudinem effundere, quantum Europa & Aphrica, & mare Caſpium eſſe Oceani Scythici ſinum. Plures ejuſmodi errores ſunt: veluti quod veteres Zonam torridam inhabitabilem putarint; alii inter illos Antipodes negarunt, veluti *Auguſtin. lib.* 16. *de Civ. Dei c.* 9, & *Lactantius lib.* 3. *c.* 24; quos ſequutus *Bonifacius Epiſcop. Moguntin.* Epiſcopum Saliſburgenſem pro concione Antipodes eſſe defendentem excommunicavit. Quos errores non erraſſent, ſi illorum navigationes hodiernis noſtris navigationibus, & peregrinationes noſtris fuiſſent ſimiles, quamvis non negem, in illis totius terræ circumnavigationibus omnem peregrinationis inſcitiam & moleſtias non ita eſſe ſublatas & abolitas, ut non adhuc quædam terræ partes hactenus incognitæ nos fugiant. Teſtantur Hollandorum Annales, qui quot vicibus tentarunt iter in Indiam Orientalem verſus polum Arcticum inſtituere? ſed infeliciſſimè res ſucceſſit, maximè in ultima illa navigatione, ubi pauci vivi re infectâ ad ſuos domum rediêre. Vndé nec hodiè adhuc noſtris conſtat, num

aliquo Iſthmo noſtra continens cum novæ terræ continenti connectatur necne? Tantum peregrinandi difficultas effecit.

His accedit veterum hiſtoriarum penuria, eaque fabulis innexa, quia videmus quod quæ ab Ethnicis Scriptoribus ante tempora Trojana literarum monumentis ſunt tradita, plæraque fabulis ſunt involuta: In reliquis non deeſt abundans diſſonantia, quæ etiam emunctioris naris viro negotium ſæpe faceſſunt: unde impeditum, ut initio diximus, opus emergit; quod tamen tantum abeſt, ut ab hoc ſtudio nos deterreat, ut potius nos induſtriores & attentiores faciat, ſi *Iucunditatem* & *Vtilitatem* ejus; quæ duo huic ſtudio fixè adnexa ſunt, ſpectare velimus.

Si abſens remotiſſimas oras adſpicere, ſitum earum cognoſcere, & quietus ſedens totum orbem circumnavigare poſſis, an non jucundum? Nôrunt hiſtoriarum periti, quantum ad variarum rerum cognitionem peregrinatio longinqua & diuturna conducat, in qua ſenſuum adminiculo percipiuntur ea, quæ Doctore etiam exercitatiſſimo præeunte non ita

commo-

commodè intelligi queunt. Varii ſiquidem diverſarum gentium ritus, diſciplinæ, leges, mores, inſtituta & conſuetudines peregrinando multò accuratius intelliguntur, examinantur & judicantur, quàm ſi ea, quæ nunquam vidimus, à mutis Doctoribus, id eſt, libris haurimus & ſola hiſtoricâ lectione tractamus. Quia verò non omnium facultates concedunt, neque etiam omni periculo, hoc præſertim ſæculo, vacat per varias mundi partes oberrare, multaſque urbes & in iis mores peragrando luſtrare, idcirco præſenti hoc opuſculo præſertim in Hiſpania delineationem terræ & gentis dedimus, & ſi variarum terrarum & populorum amans methodum ibi monſtratam, ex Hiſtoricis legendis ſequi volet, à peregrinandi labore, periculo atque impensâ liberavimus.

Iucunditati jungit ſeſe utilitas in Hiſtoriæ lectione, quam hic maximè attendimus. *Polyb. lib.* 1. *Hiſt.* nec *non Thucydides* præcipuas boni Hiſtorici virtutes eſſe aſſerunt, ſi bellorum, fœderum percuſſorum, aut ruptorum, amicitiarum & inimicitiarum occaſiones dili-

genter deſcribat. Scimus verò locorum ſitum parere amicitias; non loquor de victûs, morum, armorum, imperiorum, reique militaris diverſiſſima adminiſtratione, quæ ex diverſo regionum, ſecundùm hanc vel illam mundi plagam poſitu neceſſariò oritur; ſed quod fœdera, hoſtiliumque odiorum ſemina ferè ex nationum, populorum, regionum & urbium vicinia vel etiam diſtantia oriantur. Illuſtre rei exemplum nobis dant Romanorum conſultationes circa initium tertii belli Punici, quo Carthago deleta eſt; imprimis verò acerrima illa Catonis cum Scipione Naſica concertatio, quorum alter Carthaginem tanquam perpetuam felicitatis Romanæ æmulam, nimiſque vicinam deleri, alter verò eandem tanquam Romanæ virtutis cotem conſervari volebat. Catonis graviſſimæ rationes ex unica fere Loci circumſtantia petuntur, adeoque intelligi nequeunt, niſi aliquis utriuſque urbis ſitum accurratè nôrit ita, ut ſciat, eas, dum ſub eadem ferè longitudine, aut, quod idem eſt ſub uno eodemque Meridiano ſitæ ſunt, in latitudinem tantum diſtare, quantum maris

ris Mediterranei inter Siciliam & Aphricam breviſſimus trajectus eaſdem quaſi interſecat & diſpeſcit. *Plin. lib.* 5. *cap.* 18.

Alia utilitas ſplendet in negotiis bellicis circa ſtratagemata, quorum quantus uſus ſit hoc noſtro ſæculo, quis eſt qui neſcit? At verò præcipuas eorum occaſiones, loci ingenium, ejuſque ſitus & conditio ferè aperire ſolet, ut is demum prudentiſſimi Imperatoris nomen obtineat, qui hæc in ſuum uſum convertere novit. Hoc in negotio noſtri ſæculi Duces ſæpius veterum fuerunt æmuli, eorumque exempla ſequuti non parva præſtitêre, at ea rectè intelligere, aut feliciter imitari non potuiſſent, niſi locorum notitiâ & ſituatione adjuti. Exemplo ſit, aſtutum illud *Themiſtoclis* inventum, quo Xerxi tantum terrorem incuſſit, ut relictâ Græciâ, deſertoque immenſo illo exercitu per anguſtiſſimas Propontidis fauces, quà venerat, reverti coactus fuerit. Finxerat autem *Themiſtocles*, idque per ſubornatos exploratores Xerxi indicari curaverat, Græcos in animo habere, occupato ponte Helleſponti, per quem Aſiam

minorem cum Græcia conjunxerat, ei reditum intercludere: quo nuncio accepto, Xerxes adeò trepidare cœpit, ut oblitus omnium, propter quæ venerat, negotiorum, nil niſi de fuga cogitaret. Certè caſus nobliſſimus in omni illa hiſtoria; qui verò ignarus eſt ſitûs locorum, magnâ fructus ejus parte carere cogitur, ut qui neque intelligat, quàm facilè hoc tum fuerit Græcis in tanta navigationis commoditate poſt devictam ad Salaminem Perſarum claſſem, quamque idcircò hoc apud Xerxen probabile fuerit; neque ſatis perſpicere poſſit, quàm prudens hoc in Themiſtocle, & quàm tempeſtivum conſilium fuerit.

His præliminaribus volui difficultatem cum jucunditate & utilitate ſtudii Geographici miſcere, ut compendioſa via TE, Generoſiſſime Adoleſcens, ducerem ad trium unius matris HISTORIÆ filiarum amorem. Primam modò tibi in manus do, GEOGRAPHIAM; alteram, biennium jam eſt & ampliùs, Conſultiſſ. Vir HENRICUS ERNSTIUS, Regius in Sorana Profeſſor, amicus priſtinæ veritatis & virtutis, CHRONOGRAPHIAM tibi junxit: Tertiam,

Tertiam, quæ PROSOPOGRAPHIA nominatur & Genealogias educit, à me, ſi ſupremum Numen me ſanum & validum diurnare, otioque & commoditate beare volet, novâ forma producam, ita ut æqui cenſores nos non fruſtrà in hoc ſtudio laboraſſe è vero pronunciare poſſint. Methodum, quâ ſtat hoc opuſculum, tabulæ monſtrant; brevior fui lib. I. cum generalia iſta è diverſis auctoribus habere poſſimus: at qualis hodie eſt globi terreſtris facies, quomodo diviſus, hoc noſtri fuit laboris lib. II. Quod ab aliis ſi non planè neglectum, ſaltèm erroneè traditum, ut BertI & aliorum Geographiæ nobis oſtendunt, quibus lector & juventus falsò inſtruitur, & in deviam viam ducitur. Hoc monere volui, ut quid hic ab aliis ſit diſcriminis, poſteritas notaret, nam non conſcribillare ſed verum ſcribere mihi animus fuit & eſt, quippe qui ipſus maximam *Europæ* partem non ſemel obivi.

Tibi verò, Generoſiſſime AXELI, levidenſe hoc opuſculum, Tuis uſibus jam diu deſtinatum, niſi Hiſpanicum iter, quod obſequii gloria expediundum erat, & operæ typographicæ longius

hinc

hinc diſſitæ, conatus retardaſſent, cur offeram, non alia ſubeſt cauſa, quàm antiquus & conſtans in præilluſtrem tuam Gentem, qui mihi hoc imperavit, cultus & pronus in Tua ſtudia, qui hoc à me efflagitavit adfectus. Vtroque hoc fundamento nixus omnem ſuperabo invidiam, & cum bono DEO nulli ero opprobrium, nam qui cum virtute rem faciunt, virtutis præmia referre debent. Conatus bonus ſemper in laude, effectus in caſu eſt.

Accipe hoc cultûs in Gentem Tuam præilluſtrem, & in TE adfectûs tributum eo animo, quo tibi ſolvo, puro nempe & defæcato, & ſi quid inde lucri Tuis ſtudiis appoſueris, hoc mihi adpoſitum arbitrare.

Hac nuncupatione, in qua omnia vota pro Illuſtris Tuæ Gentis & Tua felicitate & incremento incluſa velim, hoc opuſculum conſigno.

Hafniæ, Kalend. Nov. CIↃIↃCXLII.

SYNO-

SYNOPSIS

totius hujus

GEOGRAPHICI

operis.

GEographiæ explicatio eſt vel exterior, vel interior.

Exterior libro I. *continetur, quod* VIII *capitibus conſtat.*

Ea verſatur circa globum terreſtrem, qui eſt vel verus & realis, vel pictus & repræſentatitius.

Verus globus terreſtris ſpectatur vel abſolutè & in ſe, vel comparatè reſpectu globi cœleſtis.

Aſolutè & in ſe conſideratur reſpectu tum quantitatis ſuæ, tum figuræ.

Quantitas globi terreſtris perſpicitur è menſurarum inſtrumentis, & menſurationibus ipſis.

Inſtrumenta menſurarum ſunt vel minora ut granum, digitus, palmus, pes: vel majora, ut paſſus, (qui eſt vel ſimplex vel geometricus) ſtadium, & milliare, quod tripliciter ſumitur.

Men-

Menſuratio globi terreſtris reſpicit ejus Peripheriam, Diametrum, & Superficiem convexam.

Figura ejus eſt rotunda ſeu ſphærica. Cap. 1. pag. 1.

Globus terreſtris conſideratus comparatè, reſpectu globi cœleſtis, diſtinguitur primò in quatuor plagas ſeu cardines mundi, qui ſunt Ortus, Occaſus, Meridies, Septentrio.

Et his quatuor plagis, quatuor quoque venti Cardinales reſpondent. Cap. 2. p. 7.

Secundò diſtinguitur in circulos, qui vel ſunt Majores, ut Æquator, Zodiacus, Horizon, Meridianus: vel Minores, ut Tropici cum Cancri tum Capricorni; & Polares, Arcticus & Antarcticus,

Per hos circulos Minores globus terreſtris dividitur in quinque Zonas, quarum una eſt Torrida, duæ Frigidæ, & duæ Temperatæ. Cap. 3. pag. 10.

Tertiò dividitur in Parallelos & Climata, quæ vel ſunt Septentrionalia, vel Meridionalia. Cap. 4. pag. 18.

Quartò diſtinguitur in Gradus, quorum alii ſunt Longitudinis, alii Latitudinis. Cap. 5. pag. 22.

Glo-

Globus terrenus pictus ſeu repreſentatitius conſideratur vel in Sphæra, vel in Mappa.

Sphæra videnda eſt tum Fabrica, tum Vſus.

Fabricæ duæ ſunt partes, Externa & Interna.

Externa pars eſt vel ſeparabilis vel inſeparabilis.

Separabilis quæ dicitur alveus, conſtat ſtatumine (quod habet Pedimentum & Columellas) & circulo Horizontali qui dividitur in partem globo proximam, mediam & ultimam.

Inſeparabilis pars eſt ænea, continetque Meridianum Circulum horarium, & Axim.

Interna pars in ipſa Sphæra continetur: cujus conſideranda eſt Pictura tum neceſſaria, tum non neceſſaria.

Pictura neceſſaria eſt vel Geographica, vel Hydrographica.

Pictura Geographica continet primò lineas circulares, quæ ſunt vel majores, ut Æquator, Meridianus, Zodiacus: vel minores, quæ pinguntur lineis partim rubris, ut Tropicus Cancri, Polaris Arcticus,

cus, Tropicus Capricorni, Polaris Antar ēticus; partim nigris, quæ ſunt XVI. *Secundò diverſa loca, quæ ſunt regiones gentes, inſulæ, maria, flumina, ſylvæ montes, urbes.*

Pictura Hydrographica conſtat ſu is lineis nanticis, quæ Rhombi dicuntur.

Pictura non neceſſaria eſt avium, piſcium, animalium, navium, &c.

Vſus ſphæræ eſt multiplex. Cap. 6. pag. 23.

Mappa eſt generalis vel ſpecialis.

Generalis habet picturam tum neceſſariam, eamque vel geographicam, quales ſunt circuli & picturæ locorum; vel hydrographicam: tum non-neceſſariam. Cap. 7. pag. 29.

Mappa ſpecialis habet etiam ſuam picturam, eamque tum neceſſariam, quales ſunt circuli, ſcala milliarium, & urbes; tum non-neceſſariam. Cap. 8. pag. 32.

Inte-

Interior Geographiæ explicatio libro 2. continetur, quod x x capitibus conſtat.

IN ea Mundus dividitur in quatuor partes, nempe tres veteres & unam novam.

Veteres partes ſunt Europa, Aſia Africa.

Europa conſideratur vel ut animata, vel ut inanimata.

Animata ſunt incolæ, quorum videndæ ſunt linguæ, Romana, Germanica, Slavonica, & mores.

Inanimata conſideratur primò reſpectu Poli & Soli: ad hoc verò referuntur Terra, (cujus nomine veniunt montes & ſylvæ) & Aqua, ſub qua comprehenditur mare (cujus diſtinctio triplex affertur, & accidentia ſunt Freta & ſinus) et flumina.

Secundo reſpectu finium, qui ſunt vel exterior in circumferentia ſive ambitu, & interior in longitudine & latitudine.

Tertiò reſpectu naturalium accidentium, quæ ſunt in cœli temperie & terræ fertilitate.

Quartò

Quartò reſpectu diviſionis in continentes, Peninſulas & Inſulas. Cap. 1. pag. 35.

Europæ continentes ſunt, Hiſpania. Cap. 2. pag 48. *Gallia* Cap. 3. pag. 112. *Germania.* Cap. 4. pag. 134. *Italia.* Cap. 5. pag. 160. *Illyricum, Græcia, Thracia, & Dacia.* Cap. 6. pag. 177. *Hungaria, Polonia, Tartaria & Moſcovia.* Cap. 7. pag. 183.

Peninſulæ Europæ ſunt Norvvegia, Suedia, & Gothia. Cap. 8. pag. 195.

Inſulæ Europæ trium ſunt gentium; in Oceano Anglia, Scotia, Hybernia, Iſlandia, Groenlandia. Cap. 9. pag. 197. *In mari Balthico Dania, cum aliis ei adjacentibus.* Cap. 10. pag. 210. *In mari Mediterraneo Sicilia, Sardinia, Corſica, Creta* ſive *Candia, Majorica, Minorica.* Cap. 11. pag. 225.

Aſiæ conſideranda ſunt primò Situs, qui vel exterior in extenſione verſus Orientem & Septentrionem; vel interior reſpiciens flumina & montes. Secundò quantitas tum in longitudine tum in latitudine. Cap. 12. pag. 233.

Tertiò diviſio in Continentes, quæ ſunt Aſia minor, ſub qua ſunt Cappadocia,

Paphla-

Paphlagonia, Pontus, Bithynia, Phrygia minor, Myſia major & minor, Æolia, Ionia, Caria, Peninſula Doris, Lycia, Cilicia, Galatia, Phrygia major, Piſidia, Lydia, Armenia major, Colchis, Iberia, Albania, & Armenia minor.

Aſia major, ſub qua Chaldæa, Perſia, India, China, & Tartaria Aſiatica. Cap. 13. pag. 235. *Et in Inſulas, quæ ſunt vel in mari Mediterraneo, vel in Oceano.* Cap. 14. pag. 254.

Africæ videnda ſunt, Primò ſitus, qui vel exterior in forma peninſulari, vel interior reſpectu montium & fluviorum. Secundò termini. Tertiò magnitudo in longitudine & latitudine. Cap. 15. pag. 261.

Quartò diviſio in Continentes, quæ ſunt ſeptem, Ægyptus, Barbaria, Numidia, Libya, Nigritarum regio, regnum Congi, & Æthiopia. Cap. 16. pag. 263. *Et in Inſulas, quæ diſtinguuntur ſecundùm Oceanum.* Cap. 17. pag. 267.

Nova mundi pars eſt America, cujus ſpectandi ſunt Termini, Magnitudo, & Partes, quæ ſunt Continentes & Inſulæ. Cap. 18. pag. 268.

Conti-

Continentes Americæ ſunt duæ, una Septentrionalis, vulgò Mexicana dicta, cujus provinciæ ſitæ ſunt vel ad Mare del Nort, vel ad mare del Zur: alia Meridionolis, quæ dicitur Penana, & provincias habet ſitas vel ad mare del Zur, vel ad Mare del Nort. Cap. 19. pag. 270.

Inſulæ Americæ diſtinguuntur ſecundum ſitum Maris del Nort & del Zur, Cap. 20. pag. 277.

COM-

COMPENDII GEOGRAPHICI
LIBER I.

Quod felix fauſtumque ſit; Compendium hoc Geographicum in duos libros *diſpeſcimus. Prior* Octo capitibus *abſolvitur, & circa exteriorem globi terreſtris explicationem eſt occupatus: poſterior* viginti capitibus *includitur, & circa interiorem in globo provinciarum cognitionem verſatur.*

CAPUT I.
De globo terreſtri, & ejus quantitate generali.

GEographia eſt ſcientia explicans mundum hunc inferiorem, qui globo terreſtri nobis repræſentatur.

Definitur Geographia per ſcientiam, reſpectu nimirum eorum, quæ in terra ratione cœli conſiderat: reliqua enim cum ex hominum arbitrio maximam partem dependeant, fluxa ac mutabilia ſunt. Subjectum Geographiæ terra quidem poteſt conſtitui, non ut eſt unum ex IV. Elementis, ſed ut globus terrenus ob commodam hominum habitatio-

nem, aquâ & terrâ ſimul conſtitutus. Geographiæ ſive terræ deſcriptio eſt *prima porta ad ſtudium hiſtoricum, altera eſt Chronologia, tertia eſt Proſopographia*, ſive genealogiarum explanatio: nam uti Deus primùm creavit *terram*, ſecundò *tempus*, tertiò *hominem*; *Geneſ.* 1. Ita nos, aggreſſuri ſtudium hiſtoricum, tria hæc præmittere debemus, nimirum loci cognitionem, ubi quid factum ſit, quod docet Geographia: deinde temporis annotationem, quando quid factum ſit, quod docet Chronologia; tandem perſonarum cognitionem, à quibus quid illuſtre geſtum ſit, quò faciunt Genealogiæ ductus. Qui tribus his eſt inſtructus, rectè & ordine ad ſtudium Hiſtoricum accedere poteſt. Quemadmodum verò Hiſtoria eſt oculus prudentiæ politicæ, ita Geographia cum binis hiſce junctis eſt oculus hiſtoriæ. Differt autem Geographia à Coſmographia; nam hæc eſt deſcriptio cœli & terræ, & eorum quæ in cœlo & terra continentur: à Chorographia, nam hæc eſt deſcriptio unius alicujus provinciæ, à Tropographia, quæ eſt, certi loci deſcriptio.

Explicatio hæc verſatur vel circa exteriorem globi cognitionem; vel circa interiorem in globo repræſentatarum regionum enodationem.

Exterior eſt, quæ tractat de globo terreſtri, & omnibus ejus partibus externis.

Globus ita conſideratus, conſtat duobus elementis inter ſe junctis, terrâ nimirum & aquâ, ita ut in mundi medio terra ſit poſita, eaque rotunda & immobilis, quæ reſpectu

ctu ſupremi cœli eſt inſtar puncti, & cum aqua, quam in cavitates ſuas recipit, globum conſtituit.

Exterior globi conſideratio dividit eum, vel in verum & realem, vel in pictum & repræſentatitium.

Realis bifariam ſpectatur, abſolutè & comparatè.

Abſolutè & in ſe, tum reſpectu quantitatis ſuæ, tum etiam reſpectu figuræ.

Quantitas globi perſpicitur è menſurarum inſtrumentis, & menſurationibus ipſis.

Inſtrumenta ſunt vel minora, vel majora.

Minora ſunt granum, digitus, palmus, pes.

Granum hordei trans versò poſitum eſt primum menſurandi principium.

Digitus eſt menſura, continens quatuor grana hordei. Digitus Germanicè hic vocatur & eſt ein Zahl an dem maß-ſtab.

Palmus eſt menſura quatuor digitorum.

Pes eſt menſura quatuor palmorum.

Majus inſtrumentum, ſive major menſura eſt paſſus, ſtadium & milliare.

Paſſus eſt vel ſimplex, vel geometricus.

Simplex continet pedes duos cum dimidio:

Geometricus verò pedes quinque.

Stadium eſt menſura, habens paſſus ſimplices centum viginti quinque.

Milliare tripliciter ſumitur; Primo pro menſura habens CIↃ *paſſus, & continens* VIII *ſtadia, & hoc dicitur milliare Italicum. Secundò pro Leuca, quæ vel vetus vel nova. Vetus habet* XII *ſtadia; nova* XVI *ſtadia, & facit unum milliare Gallicum ſeu duo Italica. Tertiò pro mil-*

liari Germanico; quod vel commune, vel grande. Commune habet 4000 paſſus, ſive ſtadia XXXII *& 4 Italica, milliaria,* (quam & Leucam Hiſpanicam dicunt.)

Grande, quod & Helveticum & Hungaricum dicunt, eſt 5 mille paſſuum.

Memoriæ causâ addantur hi verſus:

Quattuor è grandis digitus componitur unus,
Eſt quater in palmo digitus, quater in pede palmus,
Quinque pedes paſſum faciunt, paſſus quoque centum
Viginti quinque ſtadium dant, ſed miliare
Octo facit ſtadia, duplatum dant tibi leuca.

Menſuratio globi terreſtris habet periphertam, diametrum, & ſuperficiem convexam.

Peripheria ambitum ſive circumferentiam globi terreſtris maximam docet, quæ eſt 5400 milliarium Germanicorum.

Diameter indicat profunditatem globi ab uno ſuperficiei extremo ad alterum.

Diameter eſt milliarium Germanicorum 1718, vulgò Axis vocatur, quia circa eum globus volvitur. Extrema ejus ſunt Poli, medium dicitur Centrum, & linea à centro ad ſuperficiem ſemidiameter dicitur, & eſt milliarium 860.

Superficies convexa repræſentat globi terreni longitudinem & latitudinem ſimul; ejusque vulgaris computatio eſt milliarium Germanicorum 9278180.

Figura globi terreni rotunda eſt, ſive ſphærica, quoad partes univerſas, quæ unum in corpus rotundum cöeunt, non quoad partes ſingulas, quæ ſunt montoſæ & valloſæ. Aſſer-

Aſſertionem hanc probabimus *Phyſicè* & *Mathematicè*. *Phyſicè*, quia ex gravitate terræ nulla alia ejuſdem figura producitur quàm rotunda. Ponderoſa ſiquidem & gravia cum undique pariter ad medium appropinquare laborent, fit ut à remotioribus propiora urgeantur, donec ab eodem medio circumcirca par ſit eorum diſtantia. Unde neceſſariò figura terræ ſit globoſa, cujus ſuperficiei partes omnes æqualiter à centro removentur.

Mathematica demonſtratio duobus fulcitur argumentis; *Primò*, quod terra ſecundum ſuperficiem ſuam, quam certis lineis noſtrâ imaginatione *in longitudinem*, hoc eſt, ab Ortu in Occaſum, & contra; & *in latitudinem*, hoc eſt, à polo in polum deductis menſuramus, rotunda obſervatur. Quoad longitudinem, Sol, Luna & reliquæ ſtellæ nec occidunt, nec oriuntur uno & eodem tempore omnibus in terræ ſuperficie habitantibus; ſed tardius Occidentalibus, & citiùs Orientalibus, quod ex Eclipſibus & ſtellarum conjunctionibus comparet, quæ diverſis horis & locis tardius & longiùs; ab Ortu Orientalibus citiùs & propius; ab Occaſu Occidentalibus tardiùs apparent. Defectus Solis & Lunæ veſpertinos, Orientis incolæ non ſentiunt, *ait Plinius lib.* 2. *natur. hiſt. c.* 7. nec matutinos ad Occaſum habitantes. *Copernicus*, 1. *revol.c.*2. *addit*. Meridianos illi tardiùs, hi citiùs vident. Nota; Eclipſes Lunæ procedunt ab Occaſu in Ortum, quia Luna ſemper ab Occ. in Ortum fertur.

Quoad latitudinem, rotunditas probatur, quia progredientibus ab Auſtro verſus Boream, magis magisque elevantur Septentriones, ſive VII ſtellæ urſæ minoris, ipſaque poli Arctici altitudo cum dierum majori inæqualitate incrementum ſumit, & in oppoſita parte ſtellæ circa polum Antarcticum ſenſum effugiunt, ipſeque polus magis deprimitur: verùm, qui contrarium iter faciunt, iis magis magisque deprimuntur Septemtriones cum polo Arctico, aliæque ſubinde circa Auſtrum ſtellæ conſpicuæ fiunt.

Secundò, ex matheſi, terræ rotunditas, ex, actiùs ſecundum utramque dimenſionem, id eſt, longitudinem & latitudinem cognoſcitur & dijudicatur, nam ſicut juxta longitudinem terræ differentia temporis cum diſtantia locorum, ita ſecundum latitudinem polorum elevatio cum emenſo in terram ſpatio ſemper proportionalis obſervatur, & gradui cœleſti 15 milliaria Germanica in Meridiano terreſtri reſpondent, quod tibi ſola Sphærica figura, & nulla alia, ob oculos ponet. Rotunditas hæc terræ cum aqua, etiamſi ſit perfectè circularis; nobis tamen reſpectu partium terræ, quas videmus, ut ſunt, montes, valles, planities, non videtur ſenſibilis iſta exacta rotunditas; quamvis non negemus, dum univerſam terram animo concipimus, in ea montes inſtar arenularum vel gemmularum ad globum agglutinatarum, valles autem & planities inſtar exiguarum cavitatum globo impreſſarum

ſeſe

ſeſe habere, adeóque totam molem nihilominus rotundam manere: quod manifeſtum in globo lapideo ruditer elaborato, quem propter aſperitatem ſive inæqualitatem nemo nomine globi privabit.

C A P. I I.

De quatuor Cardinibus mundi.

Talis fuit globi terreſtris abſoluta conſideratio: ſequitur comparata, quando nimirum globus terreſtris cum cœleſti, cui directè ſubjicitur, comparatur. Hoc reſpectu globus terreſtris diverſimodè diſtinguitur; Et primò quidem in plagas, ſive Cardines mundi quatuor, qui ſunt Ortus, Occaſus, Meridies, Septemtrio.

Orientalis cardo eſt in ea cœli parte, ubi Sol directè oritur.

Occidentalis in ea, ubi Sol directè occidit.

Meridionalis eſt directè verſus polum Antarcticum, ubi Sol medium diei facit.

Septemtrionalis plaga eſt directè verſus polum Arcticum, ubi Sol maximè eſt depreſſus circa medium noctis.

Etſi unus idemque locus in terra reſpectu alterius loci modò ſit Orientalis, modò Occidentalis, modò Meridionalis, modò Septemtrionalis; tamen reſpectu cœli, partes terræ ſimul ſumtæ vel verſus Ortum, vel verſus Occaſ. vel verſus Meridiem, vel verſus Septentrionem directè ſpectant. Ita Uratiſlavia eſt Occidentalis, reſpectu Sandomiriæ in Polonia: ſed eſt Orientalis, reſpectu Lipſiæ, Coloniæ, &c. Eadem eſt Meridiona-

lis reſpectu Poſnaniæ, Dantiſci, &c. & eſt etiam Septemtrionalis, reſpectu Viennæ in Auſtria: Interim ſi non diverſas terræ partes inter ſeſe, ſed cœli poſitum ſpectes, certum quid de Uratiſlavia dici poteſt, quod nempe non in infinitis, ſed certis mundi plagis ſita ſit: eadem eſt ratio aliarum urbium & locorum. De Septentrione notetur, quod eam plagam perpetuo monſtret lingula in compaſſo, magnete confricata, & ei oppoſita plaga directò, eſt Meridies.

His quatuor plagis, quatuor quoque Venti Cardinales reſpondent.

Eurus, ſeu Subſolanus, qui flat ab Oriente.

De his 4 ventis Manilii verſus ſunt:

Aſper ab axe ruit Boreas, venit Eurus ab ortu,
Auſter amat medium Solem, Zephyrusque cadentem.

Eurus importat qualitatem moderatè calidam & ſiccam, atque adeò ſaluberrimam: quia ſcilicet vis Solis ut prima eſt ad Ortum, ita quoque valdè efficax ad habitus temperandos & purificandos. Hic ventus Italis dicitur *Levante*, Gallis *Vent d'Amont, d'Eſt, Vent de Leuant*, Der Oſtwind Germanis.

Zephyrus, ſeu Favonius, qui flat ab Occidente.

Hujus natura eſt frigidior & humidior, atque idcirco pronior ad ciendas nubes & tempeſtates, quia radii ſolares illic minus ſunt efficaces. cum toto die, quando Sol eſt in Ortu aut Meridie, variè illic vapores colligantur, qui radiorum vim retundunt atque hebetant, quique adeò vento admixti,

ti, nubes & tempeſtates movent. Dicitur vulgò: Mit weſt und ſudweſt iſt nicht gut jagen. Ratio eſt. 1. Quia ventus ille valdè humidus eſt, & verò odor eſt ex temperie calida & ſicca, ideò ventus iſte odorem ferarum facilè extinguit, nam odore præcipuè ducuntur canes. 2. Quia ventus iſte inter reliquos proximè ad terram ſpirat, reliqui altiùs, ideò iſtum ferarum odorem facilè intercipit, ut venatio ſit fruſtranea. Hic ventus Italis dicitur *Ponente*. Gallis. *Vent Occidental. Vent d'Occident.* Germanis Weſt-wind.

Notus, ſeu Auſter, qui flat à Meridie.

Hic ventus calidus & humidus eſt, atque idcircò etiam tempeſtuoſus ac morboſus. Calidus quidem, quia magna eſt Solis vis in Meridie: humidus, quia vehementior vis Solis multos vapores extrahit, qui vento admixti, ſuam qualitatem eidem imprimunt. & quia etiam per loca paludoſa & paluſtria ſpirat, è quibus copioſi halitus exſpirantes imbuunt ventum ſimili ſua qualitate. Hic ventus peſtem cauſatur, ſi perpetuò ſpirat, uti ſæpius obſervatum. Ratio eſt, quia corpora efficiuntur humida & calida, & ob id putredini maximè obnoxia. Et quia humida facilè putreſcunt, ideò hic ventus humidus in corpore humano humorem adaugens facilè cauſatur putredinem, & per conſequens peſtem: quia *peſtis nihil aliud eſt, quàm putredo ſanguinis circa cor. Ovidius.*

Lethiferis calidi ſpirarunt æſtibus Auſtri.

Hic ventus Italis dicitur, *il vento di mezzo*

giorno, il Su: Gallis *vent de midi:* Germanis, Sud-wind.

Boreas ſeu Aquilo, qui flat à Septemtrione.

Hic frigidus & ſiccus eſt, tum propter minorem, quæ illic eſt, radiorum efficaciam, tum etiam quia tranſit loca nivoſa. Ab his Cardinalibus ventis tanquam ſimplicibus, oriuntur intermedii, ſive compoſiti, & decompoſiti, quorum veteres recenſuêre XII & XXIV; recentiores hodie XXXII numerant. Hic ventus Italis dicitur *Tramontana*, Gallis, *Vent de Biſe.* Germ. Nord-wind.

CAP. III.

De Circulis majoribus, & minoribus.

Secundò, diſtinguitur ſuperficies globi terreſtris in Circulos majores, & minores.

Majores ſunt, qui globum in duas partes æquales dividunt, & hi ſunt: Æquator, Zodiacus, Horizon, Meridianus.

Æquator, qui & æquinoctialis circulus dicitur, & æquidialis, (quando enim Sol attingit hunc circulum, tunc æquale efficit ſpatium diei & noctis per univerſum terrarum orbem) dividit globum in duas partes æquales, Septemtrionalem & Meridionalem, ſive in duo hemiſphæria, Septemtrionale & Meridionale, & ab utroque polo æquali ſpatio diſtat, & medius inter mundi polos intercurrit.

Ex hoc circulo æſtimantur & denominantur æquinoctia: Sol enim bis tantùm in toto anno hunc circulum attingit, ſeu directè ſub hoc circulo volvitur, nempe 11.

Martii

Martii die ſecundum Kalendarium Julianum, tempore Veris; & hoc dicitur Æquinoctium Vernum, quo Sol ingreditur primum gradum Arietis: & deinde iterum die 13 Septembris, quod eſt Æquinoctium Autumnale, quo Sol ingreditur primum gradum Libræ. Hic circulus præ omnibus aliis circulis in globo notari à pictura poteſt, dum nimirum ab Ortu verſus Occaſum, & ab Occaſu verſus Ortum in medio globi decurrit areolis & ſpatiolis diverſorum colorum diſtinctus. Germani eum vocant Die mittel linie/ oder ſchlechts/ die linie. Populi qui ſub Æquatore habitant, dicuntur habitare in medio mundi, quia nuſquam declinant, vel verſus Septentr. vel verſus Meridiem.

Zodiacus ex obliquo Æquatorem interſecat, & ex una parte tropicum Cancri, ex altera tropicum Capricorni apprehendit. Sub hoc Sol perpetuò progreditur, & in quo ſunt iſta XII *ſigna cœleſtia:*

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Hi verſus propterea notandi, primò quia indicant ordinem, quo ſigna cœleſtia ab Aſtronomis diſponuntur, ita nimirum ut initium fiat ab Ariete, & agmen claudant Piſces. Secundò, quia docemur, quod ſignum alteri ſigno è directo in cœlo opponatur: nam ſignum primum in primo verſu directè opponitur ſigno primo ſecundi verſus, & ſignum ultimum primi verſus è directo opponitur ſigno ultimo ſecundi verſus, &c.

Ita quando Luna obſcuratur in Libra, tunc Sol verſatur in Ariete, quia Luna eſt in primo ſigno Meridionali, & Sol in primo ſigno Septemtrionali.

Horizon duplex eſt: rationalis & ſenſibilis.

Rationalis eſt, qui ratione & intelligentia percipitur.

Hic in duas æquales partes dividit univerſam mundi ſphæram, ita ut alterum hemiſphærium ſuper terram exſtet, alterum ſub terra condatur. Et hic in globo tam cœleſti quàm terreſtri repræſentatur circulo ligneo lato, extra globum in pedimento conſtituto.

Senſibilis eſt, quem ſenſu viſûs percipimus.

Hic oculo noſtro terminatus, quoad uſque in campo patenti oculorum acies undique pertingere poteſt, extenditur, dividens partem orbis, quæ à nobis videtur, ab ea, quæ non apparet. Hujus Horizontis ſenſibilis diameter eſt quatuor ferè milliarium Germanicorum: tam procul enim oculorum benè affectorum acies in planitie patenti, ubi colles & montes non obſtant, pertingere poteſt.

Meridianus eſt circulus, à Meridie in Septentrionem per puncta polaria, ſive per Meridiem & Septentrionem ductus, & Horizontis polos tranſiens, Æquatorem ex tranſverſo interſecat.

Sic dictus, quia Sol quando ad partem circuli iſtius ſuperiorem pertingit, medium diei efficit: quando verò Sol ad partem ejuſdem circuli inferiorem delatus eſt, tunc conſtituit mediam noctem. Hinc fit ut ea

pars

pars diei, qui eſt ante Meridiem ſit æqualis illi, quæ eſt poſt Meridiem, & illa pars noctis, quæ eſt ante mediam noctem, ſit æqualis illi, quæ eſt poſt mediam noctem.

Circuli minores ſequuntur, qui globum in duas partes inæquales dividunt, & vocantur Tropici *&* Polares.

Tropici dicuntur ἀπὸ τῆς τροπῆς à Solis converſione, quia Sol ad hos circulos perveniens longiſſimè diſceſſit à cœli medio ſeu Æquatore, & ſtatim eo ipſo momento velut curſum ſuum ſiſtens verſus cœli medium ſ. Æquatorem regreditur. Dicitur & circulus Solſtitiorum: quia Sol hos circulos attingens, propter inſenſibilem ſuum regreſſum, aliquot diebus quaſi ſtationem facere videtur, ut dies non ita ſenſibiliter creſcant, vel decreſcant, licet revera Sol unica die tantùm & nocte in ipſis circulis hæreat.

Tropici ſunt vel Cancri, vel Capricorni.

Tropicus Cancri, qui & æſtivus dicitur, quem Sol in altiſſima æſtate deſignat, id eſt, eo die, quo movetur per primum gradum Cancri: & tunc Sol vertici noſtro eſt proximus, & facit diem longiſſimum, & noctem breviſſimam. Dicitur & Septemtrionalis, tranſitque per Aſiam Magnam, per mare rubrum, ſinum Arabicum, Sinarum regionem, & Indiam utramque Orientalem & Occidentalem.

Tropicus Capricorni, qui & hyemalis dicitur, quem Sol deſignat eo die, quo verſatur in primo gradu Capricorni: & tunc Sol à vertice noſtro eſt remotiſſimus, & facit diem breviſſimum, & noctem longiſſimam.

Dicitur & Meridionalis, & tranſit per extremam Africæ oram Meridionalem, & per partem Americæ, quæ Braſilia dicitur.

Polares circuli ſunt duo : extimi & polis vicini circuli. dicunturque Arcticus & Antarcticus.

Arcticus , qui polo Zodiaci Arctico ſeu Septentrionali ſubjicitur, & vergit ad polum mundi Septemtrionalem.

Αρκτὸς urſa dicitur , ideò Urſalis circulus hic dicitur, quia ad Septentrionem, ubi Urſa major & minor ſunt, tendit: & tranſit hic Arcticus per inſulæ Iſlandiæ oram Meridionalem, perque Norvvegiam & Finlandiam. & alias inſulas Septemtrionis his vicinas, ſimulque per extremam partem Meridionalem Gronlandiæ.

Antarcticus, qui polo Meridionali ſubjicitur, & vergit ad polum mundi Meridionalem.

Antarcticus dicitur , quia opponitur illi Septemtrionali , dum hic ad Meridiem eſt. Regiones per quas hic circulus tranſit , nobis in obſcuro adhuc ſunt , dum plura de his neſcimus , quàm quod propè ab hoc circulo in globo pingi ſoleat Pſittacorum regio.

Per quatuor hoſce circulos minores , globus terreſtris ab aëris temperie, vel intemperie, in Zonas deſcribitur.

Zonæ ſunt orbicularia & lata ſpatia , quibus tota globi terreni ſuperficies ſecundum latitudinem continetur.

Zona ſignificat cingulum , quia per hæc geographica ſpatia totus globus terreſtris velut

velut latioribus cingulis circumdatur & cingitur,

Zonæ quinque vulgo à Geographis recenſentur: Una torrida, duæ frigidæ, & duæ temperatæ.

Torrida Zona, quæ & media dicitur, eſt ſpatium in globo terreſtri duobus circulis tropicis incluſum, intercurrente media linea ſive Æquatore.

Medium hujus Zonæ duplex eſt, nempe Æquinoctialis, & deinde Zodiacus ſive Ecliptica, quæ eſt perpetua Solis via & limes. Torrida verò dicitur propter perpetuum Solis ibi ardorem, unde à vetuſtioribus habita fuit inhabitabilis. In hac Zona continetur major Africæ pars, & præſertim ea, quam mediterraneam vocant, cui præeſt princeps gentilitii nominis Prætianes, unde vulgus corruptè detorſo nomine dicit *Prieſter Iohannes.* In hac Zona etiam comprehenduntur multæ Inſulæ Oceani, ut Jaba, Taprobana, Sumatra, &c. Populi hanc Zonam inhabitantes ſunt ἀμφίσκιοι, qui duas habent umbrarum meridianarum differentias, Septemtrionalem & Meridionalem: ita ut iis Sol, quando eſt in ſignis Septemtrionalibus, jaciat umbram verſus Meridiem; & viciſſim, quando eſt in ſignis Meridion, verſus Septemtrionem. Inſuper dies noctibus perpetuò æquales habent, ita ut quilibet dies 12 horis, & quælibet nox totidem conſtet; & Solem in anno bis verticalem, & tunc omni umbrâ deſtituuntur: hoc fit in punctis æquinoctialibus, quando Sol eſt in principio arietis, vel libræ, & tum

ibidem

ibidem calor eſt intenſiſſimus. Habent etiam quatuor ſolſtitia: duo alta in punctis æquinoctialibus, quando Solem habent perpendicularem; & duo ima in punctis ſolſtitialibus, quando aërem mitiorem habent, æſtumque debiliorem, Solemque à verticali puncto, Arabibus *Zenith*, remotiſſimum. Illis etiam omnes ſtellæ & circuli cœleſtes pariter oriuntur & occidunt: hoc eſt, quæ una & ſimul apud illos oriuntur, illa unà etiam occidunt, & vice verſâ.

Zona frigida eſt vel Septemtrionalis, vel Meridionalis.

Septentrionalis, quæ includitur circulo Arctico & polo Septemtrionali.

Sub hac Zona ſunt Lappia, Iſlandia, Gronlandia, Spitzbergen, & illis vicinæ regiones nobis uſquequàque nondum cognitæ; quæ videantur in globis.

Auſtralis vel Meridionalis Zona eſt ſpatium terræ incluſum circulo Antarctico, & polo Meridionali.

Utrum homines in hac Zona habitent, & quinam illi ſint, nos adhuc latet: idcircò in globo vacua hic ſpatia reperimus.

Utriuſque hujus Zonæ habitatores dicuntur περίσκιοι, id eſt, umbræ eorum in morem molarum circumgyrantur, & interdum Orientem, interdum Meridiem, interdum Septemtrionem verſus ſparguntur: & hoc fit ex hac cauſa, quod cum Sol in ſignis Septemtrionalibus nunquam illis occidat, ideò umbra verſus Septemtrionem & Meridiem ſpargitur. Notandum, quod qui ſub

polo

polo directè habitant, Illorum Horizon eſt æquator, dieſque longiſſimus, ſicut & nox longiſſima ſex continuè menſium: quia Zodiacus in duas medietates ab Æquatore, qui tum eſt Horizon, ſecatur: & verò una illa medietas ſemper eſt ſupra Horizontem, altera verò infra, & perpetuò occultatur; hinc fit, ut quam diu in una apparente medietate Sol verſatur, tam diu ſit illis dies: quamdiu verò in altera ſubſiſtit, nox ſit. Quare qui ſub polo Arctico habitant, Sole in ſignis Septentrionalibus morante, perpetuum per ſemeſtre diem habent: Contrà illorum antipodes, qui ſub polo Antarctico habitant, noctem habent continuam, & vice verſâ, hi Sole exſiſtente in ſignis Meridionalibus diem, illi noctem perpetuam habent.

Temperata eſt vel Septemtrionalis, vel Meridionalis.

Septemtrionalis eſt, quæ ab Æquatore in Septentrionem vergit, incluſaque eſt intra tropicum Cancri & Arcticum polarem.

Sub hac Zona ſita eſt anterior Africæ pars, quæ Europam verſus ſpectat uſque ad Atlantem montem: ſita ſub eadem eſt Europa univerſa uſque ad Inſulas Arcticas, nec non magna pars Aſiæ.

Meridionalis eſt, quæ ab Æquatore declinat meridiem verſus, incluſaque eſt tropico Capricorni & polari Antarctico.

Zonæ hæc Meridionalis non eſt adeò exculta, uti Septemtrionalis, neque propter frequens mare adhuc tota cognita. Habitatores

tores harum Zonarum ſunt ἑτερόσκιοι, hoc eſt, umbræ illorum in alteram tantum partem vertuntur: Eorum nimirum qui Septentrionalem inhabitant verſus Septemtrionem: qui verò Auſtrinam incolunt verſus Auſtrum. Hinc Arabes, Zonæ torridæ inhabitatores, dicti ἀμφίσκιοι, cum extra ſuam Zonam intemperatam veniſſent, mirati ſunt, ſe non cernere umbras meridianas, de his hîc agitur, Meridiem verſus ſparſas, ſed merè Septemtrionem ſpectantes, ut Lucanus ait:

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Harum Zonarum populi Solem nunquam habent verticalem; duo tantùm illis ſunt ſolſtitia; una æſtas, & una hyems. Contrà fit in Zona torrida, ibi ut ſunt quatuor ſolſtitia, ita etiam duæ æſtates & duæ hyemes, Illæ, cum altis ſolſtitiis, hæ cum imis incipientes: & quando unius Zonæ habitatores habent æſtatem, alterius incolæ habent hyemem, & vice verſâ, ita ut ubi noſtræ æſtatis finis eſt, ibi apud noſtros antipodes ea demum inchoetur.

CAP. IV.
De Parallelis, & Climatibus.

TErtiò, globi terreſtris ſuperficies dividitur in Parallelos & Climata.

Paralleli ſunt terræ ſpatia, quibus dies longiſſimi maximi ſive æquinoctiales quadrante horæ ab invicem differunt & augentur.

Tres paralleli requiruntur ad cujuſque clima-

climatis conſtitutionem , duo nempe extremi , quibus clima comprehenditur, & utrimque terminatur,& unus intermedius. Notandum, quod iſte parallelus, qui eſt finis unius climatis, is idem eſt initium ſequentis climatis. Exempli gratia, primum clima numero ſic, Æquator, ſecundus parallelus, & tertius: alterum clima numero ſic, tertius parallelus, quartus & quintus; & ſic deinceps. Obſervetur, quod triplices ſoleant paralleli annotari in Geographicis tabulis: primi regionum latitudinem diſtinguunt, ſumto initio ab Æquatore, & in globo vel mappa interdum 10, interdum 15 gradibus diſtinguuntur. Secundi Zonarum intervalla diſtinguunt; tertii dierum artificialium differentias indicant: Et hi tertii generis paralleli ſolent mapparum marginibus appingi per notas numerorum ; hos videbimus, ut & tempus, & receſſum ab ęquatore, nec non umbrarum in gnomone rationem. Paralleli numerantur XXXIX: Temporis differentia, quâ paralleli dirimuntur, eſt quadrans horæ. quot igitur parallelis aliqua regio ab Æquatore diſtat, tot etiam quadrantibus horæ longiſſima ejus dies augetur. At cum diei quantitas 12 horis, & ſic 48 quadrantibus augeri poſſit, ſequeretur, totidem parallelos eſſe conſtituendos, ſed diſtinguendum inter parallelos ampliores & inter arctiores. Illi quidem omnes plærique quadrante horæ diſterminantur ; his verò accidit propter declivitatem ſphæræ, ut ſemihoræ quantitatem in ſe includant.

Receſſus

Receſſus ab Æquatore eſt in eo:quo magis recedunt paralleli ab æquatore, eò magis dies ac noctes & horas variari oſtendunt. Sub Æquatore dies ſibi ſunt perpetuò æquales. Longiſſimus ergo dies ibi revera nullus eſt, ſed omnes promiſcuè ſunt XII horarum: ab Æquatore autem ſi receſſeris, tum ſecundum parallelos ad quadrantem horæ longiſſimæ diei & noctis quantitas augetur, ut qui ſub primo parallelo habitant, longiſſimum diem XII horarum cum $\frac{1}{4}$ qui ſub ſecundo cum $\frac{2}{4}$ vel $\frac{1}{2}$ & ſic deinceps, habeant. Umbræ tam æquinoctiales quàm æſtivæ & brumales ad parallelorum mutationem mutantur in gnomone. Æquinoctialis umbra dicitur, quæ jacitur à gnomone, Sole Æquatorem deſcribente; æſtiva cum Sol tropicum Cancri; brumalis cum circulum Capricorni tangit.

Si ſcire voles, ſub quo parallelo locus aliquis ſeu urbs in terra ſita ſit, conſidera primò numerum horarum in die longiſſimo ejus loci ſive urbis, quem numerum horarum tabulæ in multis Geographicis libellis exſtantes, ſimul cum ipſo polo oſtendunt. Secundò conſidera, quot dies longiſſimus iſtius loci horis ſuperet æquinoctialem, qui eſt horarum duodecim, ſeu quot ſint horæ ſupra horas 12. Tertiò hunc numerum, qui eſt ſupra 12 horas quadruplica: quadruplicatus iſte numerus oſtendet tibi numerum parallelorum, ſive ſub quoto parallelo ſitus ſit ille locus ſive urbs. Exempli gratia. Dies longiſſimus Dantiſci eſt circiter

citer horas 18: ergò ſex horæ ſunt ſupra horas 12. has ſex horas quadruplica, & habebis 24. unde dico Dantiſcum eſſe circa 24 parallelum. Quadruplicatur autem numerus ideò, quia diximus, parallelum unum ab altero diſtare per quadrantem horæ.

Climata ſunt terræ ſpatia, ſecundum quæ dies longiſsimi augentur, & à ſe invicem differunt horæ ſemiſſe, ſive mediâ horâ.

Clima à κλίνω, id eſt, *inclino* derivatur, ſiquidem ſpatia terræ ab Æquatore verſus utrumque polum declinant, & veluti deorſum vergunt. Quibuſdam etiam dicuntur ſcalæ: ſicuti per ſcalarum gradus aſcenditur & deſcenditur, ita per has orbis terrarum ſcalas omnes totius mundi regiones & populi ſic diſtinguuntur, ut intelligantur vel habitare in altiori globi parte, nimirum ad Æquatorem, vel declinare verſus mundi extrema ſeu polos. Cum Clima ſit terræ habitatæ ſpatium duobis parallelis comprehenſum, in quo longiſſimus dies dimidiatâ horâ creſcit: ideò ab æquinoctiali linea ad eum uſque ocum, ubi dies longiſſimus eſt 24 horarum, (quod quidem accidit ſub ipſo Circulo polari, vel non procul ab eo, æquinoctialem verſus) 24 quoque Climata conſtituuntur, quæ duplicata ab Æquatore faciunt 48 Climata ad utrumque polum.

Climata ſunt vel Septemtrionalia, vel Meridionalia.

Septemtrionalia ſunt 24, & oriuntur verſus Septemtrionem quæ ſunt principalia, & denominationem à certis locis pleraque obtinent.

Meri-

Meridionalia ſunt itidem 24 *verſus Meridiem, & priorum quaſi anticlimata.*

Si ſcire voles, ſub quo climate ſitus ſit quilibet locus, ſeu urbs, duplica numerum horarum, qui eſt ſupra horas 12. Exempli gratia, ſi ſcire vis Dantiſcanæ urbis clima, ſume 6 horas, quibus diem æquinoctialem dies longiſſimus Dantiſci ſuperat, & ſex has horas duplica, provenient 12, unde ſub XII climate Dantiſcum eſt ſitum. Ratio cur duplicandus numerus horarum, ex eo patet, qui diſtantia ſemihoræ facit clima.

CAP. V.

De Gradibus.

Quartò, globi terreſtris ſuperficies dividitur in ſegmenta minora, quæ gradus vocant.

Gradus alii ſunt longitudinis, alii latitudinis.

Gradus longitudinis deſcribuntur per circulos meridianos, initio facto ab Azoribus inſulis: Eorum 36 *in globo numerantur, ſinguli* 10 *gradus continentes, qui numerus decennalis multiplicatus cum* 36, *conficit gradus* 360.

Gradus latitudinis diſtinguuntur per parallelos, quos ab Æquatore ad alterutrum polum novem numero, decem gradus ſinguli continentes: numero hoc novenario quadruplicato, eveniunt in univerſum 36 *paralleli.*

Cum ſuperficies globi terreſtris contineat 460 gradus, notandum, quod hoc ſpatium 360 graduum iterum diſtinguatur in quatuor quadrantes circuli, ita ut cuilibet quadranti adſcribantur gradus 90. Quadrans

drans autem eſt quarta circuli pars. Porrò gradus omnis ſubdividitur in 60 minuta prima, quæ minuta vocantur ſcrupuli, qui ſunt 60 mill. paſſ. Romanorum ſeu milliaria Italica, quorum 4 reſpondent uni mill. German. Hinc ſinguli gradus, 15 milliaria Germanica continent. Multiplica nunc 360 gradus, per 15 mil. German. emerget numerus 5400, qui eſt ambitus totius orbis terreſtris, cujus diameter in ſua craſſitie habet 1718 milliar. German. ejusque ſemidiameter eſt 860 mill. Germ. Minutum ſeu ſcrupulus eſt ſexageſima pars gradus, cui in terra reſpondet quarta pars mill. Germanici.

CAP. VI.

De globo repræſentatitio, vel picto.

Vidimus hactenus globum terrenum verum & realem: ſequitur pictus vel repræſentatitius, qui erit vel in ſphæra ſeu in rotundo, vel in tabula, mappa ſeu plano.

Globus terrenus pictus in rotundo eſt talis ſphæra, in qua per certas circulorum menſurationes, repræſentatæ ſunt mundi regiones & urbes.

Hujus globi picti videbimus fabricam & uſum.

Fabricæ ſunt duæ partes: Externa, & interna.

Externa eſt, quæ extra globum quidem eſt, ſed ad perfectam ejus conſtitutionem refertur, & maximè neceſſaria eſt.

Et hæc eſt vel ſeparabilis, vel inſeparabilis.

Separabilis pars dicitur alveus globi, conſtans ſtatumine & circulo.

Statumen habet pedimentum & columellas.

Pedi-

Pedimento Compaſſus ærarius incumbit, per quem globus ad mundi plagas directe ſtatuitur.

Columellæ quatuor ſunt, quibus circulus ligneus eſt impoſitus. Circulus hic ligneus & latus ſtatumini innixus, dicitur totius terræ Horizon.

Circulus hic dividit globum in partem ſuperiorem & inferiorem, & dividitur ipſe in tres partes, ſeu oras. Prima globo proxima continet ſigna cœleſtia cum planetis, cuilibet ſigno propriis; ita ut quodlibet ſignum in gradus 30 diſtribuatur; qui gradus ſuis ſpatiolis & numeris in infima ora circuli deſcripti oſtenduntur. Altera ſeu media, quæ latiſſima eſt, oſtendit Kalendarium Romanum cum aureo numero, & nominibus menſium & feſtorum. Tertia repræſentat Ventos XXXII, pro uſu nautico & diſtinctione plagarum mundi; ſicut enim venti, ita & plagæ mundi diſtinguuntur.

Inſeparabilis pars globi eſt ænea: Eſtque vel Meridianus, vel circulus horarius, vel axis.

Meridianus hic ex orichalco ſeu ære factus, eminet ſupra globum, inſiſtens Horizonti ligneo ad angulos rectos in fiſſura duplici, cui fiſſuræ circulus hic cum globo infixus eſt, ut nimirum circulus æneus vel elevari vel deprimi poſſit, & globus ad varium uſum circumvolvi.

Dividitur Meridianus in quatuor quadrantes, id eſt, in gradus 90 quadruplicatos, ita ut ab una parte gradus nonageſimus utrinque attingat polum; in altera autem parte gradus primus utrinque attingat polum, & ita hi 4 repetiti 90 gradus ſunt in univerſum 360, ſuis inciſuris in æs factis diſcriminati

minati à ſe invicem, ſuiſque numeris deſignati, & hæc in una tantùm circuli parte videntur.

Circulus horarius Meridiano eſt infixus, quia in Meridiano fit ſeparatio mediæ diei à media nocte. Sectio igitur utriuſque horæ XII *tam diurna, quàm nocturnæ, ipſi Meridiano directè debet incumbere.*

Circulus hic horam duodecimam habet duplicatam, quia horæ diurnæ à nocturnis debent ſeparari, & habet in medio ſtilum horas ſignantem, qui globo toto moto circumgyratur, nunquam verò per ſe ſolus movendus.

Axis eſt filum ferreum, ſeu æneum, globum tranſiens, circa quod filum globus terrenus circumvolvitur.

Ejus extrema dicuntur poli; alter ad Septemtrionem, alter ad Meridiem.

Ita vidimus partem globi terreſtris externam: Interna eſt ipſa Sphæra, ſeu globus, conſtans picturis neceſſariis, & minus neceſſariis.

Neceſſaria pictura eſt vel geographica, vel hydrographica.

Geographica eſt vel linearum circularium, vel diverſorum locorum, ut regionum, urbium, populorum.

Linea circularis eſt vel major, vel minor.

Major eſt. Primò, *Æquator*: ab hac æquinoctiali linea tota diſtinctio globorum & mapparum dependet. Secundò, *Meridianus*. Tertio, *Zodiacus*.

Quemadmodum Æquator ab Orientali plaga ad Occidentalem ducitur, & neutrum

 polo-

polorum tangit: Ita Meridianus contrario ductu à Septemtrione in Meridiem vergit, atque ita utrumque mundi polum tangit.

Meridianus eſt vel primus, vel ortus à primo.

Primus, qui eſt initium reliquorum Meridianorum tum pingendi tum numerandi.

Et hic tantùm dimidius eſt & non integer circulus in globo pictus, inſignitus areolis albis, rubris & cœruleis, per quas ejus gradus deſignantur, qui ſunt bis 90, nimirum unus nonagenarius numerus ſub polo Septemtrionali, aliter ſub polo Meridionali. Dimidius verò eſt propter majorem numerandi commoditatem. Pingitur juxta Inſulam S. Michaëlis & Inſulas Canarias ſive Fortunatas, & verſus occaſum ſe extendit in ipſam uſque Americam.

Orti à primo nigellis lineis deſignantur à Septemtrione in Meridiem, & viceverſâ, perinde ut Meridianus primus.

In globo 35 tales Meridiani orti ſeu ſecundi pinguntur, omnes tranſcurrentes per æquatorem, ſic ut denis quibuſque gradibus Æquatoris novus Meridianus ſecundus ſive ortus pingatur.

Zodiacus ſeu Ecliptica eſt perpetuum Solis domicilium & decurſus.

Ducitur ab ortu in Occaſum uti Æquator, & 360 areolis diverſi coloris, per quas gradus denotantur, diſtinguitur, & per XII ſigna cœleſtia diſtribuitur, quorum quodlibet in 30 gradus rurſus diſpeſcitur. Hic circulus in globis & mappis pingitur propter uſum Aſtrologicum, ut ſciri poſſit, ſub

quo

quo cœleſti ſigno gentes in terra habitent.

Minores circuli in globo ducuntur omnes ab Ortu in Occaſum, & globum dividunt in duas partes inæquales; pinguntur autem vel rubris, vel nigris lineis.

Qui rubris pinguntur, ſunt duo Septentrionales, nimirum Tropicus Cancri, & polus Arcticus: & duo Meridionales, nimirum Tropicus Capricorni, & polus Antarcticus.

Qui lineis nigris pinguntur, ſunt XVI *ducti per decimum quemque gradum Meridiani primi, nempe* VIII *verſus Septentrionem, &* VIII *verſus Meridiem.*

Ita fuit pictura linearum Circularium; ſequitur pictura locorum.

Loci in globo picti ſunt regiones, gentes, Inſulæ, maria, flumina, ſilvæ, montes, urbes.

Regiones diverſæ à ſe diſcriminantur coloribus diverſis, viridi, ſubflavo, ſubrubro. territoria regionum ſolent punctis à ſe invicem diſtingui: Inſulæ inhabitatæ, quæque arena magis ſunt quàm terra exculta, punctulis multis & variis inſigniuntur: ſilvæ pinguntur unâ vel altera arbore: montes ſubfuſco colore, urbes ſuis nominibus indigitantur.

Picturam Geographicam ſequitur hydrographica, quæ conſtat ſuis lineis nauticis, quæ rhombi dicuntur voce Luſitanicâ: hæ vario flexu per omnes globi partes ductæ monſtrant nautis viam, & navigandi modum.

Nautas viam docet Index nauticus (vulgò der Compaß*) qui eſt planum rotundum, cujus circumferentia diviſa eſt in* XXXII *partes.*

Indicis hujus acus Magneti affricta monſtrat Septemtrionem, & ex oppoſita parte Meridiem. Index verò hic in quatuor quadrantes dividitur, tanquam quatuor Horizontis partes, quarum quælibet continet nonaginta gradus. Singuli hi quadrantes ratione Circulorum verticalium dividuntur in octo lineas, unde per quadruplicatum numerum totus index nauticus dividitur in 32 lineas. Quælibet pars denotat novum ventum, qui agit navim in diverſas mundi plagas. Hic index ſive compaſſus nauticus pingitur in diverſis globi & mapparum partibus; nimirum in Æquatore, Meridiano, & nonnullis locis intra parallelos.

Ars navigandi continet hæc quatuor.

Primò, longitudinem & latitudinem loci, à quo navigas, & loci ad quem navigas. *Secundò*, differentiam inter longitudinem & latitudinem loci, à quo navigas, & ad quem navigas. *Tertiò*, lineam venti ſeu compaſſi nautici, per quam navigandum eſt, quæ dicitur rhombus. *Quartò*, intervallum itineris marini inter duo iſta loca.

Tantum de picturis neceſſariis in globo: non neceſſaria eſt avium, piſcium, animalium, navium, & aliarum rerum, quas cælatores & pictores ad oculorum oblectamentum, vel ad oſtendendam animalium in terra & aqua diverſitatem appinxerunt.

Globi fabricam excipit uſus globi, qui eſt tum ad diſtinguenda diverſa globi terreſtris intervalla, atque adeo diverſos terræ incolas; tum etiam ad deprehendendam varietatem in dierum quanti-

tita-

titate; inque ortu & occaſu ſiderum. Nam loca ſub eodem climate habent eandem dierum & noctium quantitatem, eoſdem ſiderum ortus & occaſus; loca verò ſub diverſis climatibus diverſa habent dierum & noctium intervalla, & diverſos ſiderum ortus & occaſus.

CAP. VII.

De Tabula, Mappa, ſeu plano in genere.

HActenus de globo picto in rotundo, ſeu Sphæra; ſequitur ejuſdem repræſentatio in plano, ſeu mappa.

Nomen mappæ fortè derivatum à mappa, id eſt, linteo quod menſæ inſternitur: quia chartæ illæ Geographicæ linteis etiam inducuntur, & mappæ inſtar extenduntur.

Mappa hæc, ſeu charta geographica, eſt vel univerſalis, vel particularis.

Vniverſalis habet picturam neceſſariam, vel non neceſſariam.

Neceſſaria eſt vel geographica, vel hydrographica ſeu nautica.

Geographica continet circulos Geographicos, & locorum picturas.

Circuli geographici ſunt vel majores, vel minores. Major vel primarius, vel ſecundarius.

Primarius eſt Æquator, & Meridianus.

Æquator extenditur in longum per utramque tabulæ faciem, ita ut veluti linea recta per mediam utramque Tabulam ducatur.

Ad Æquatorem ergò primò oculos convertamus, tanquam totius chartæ primam

formam & menſuram. Circa hunc duo ſunt obſervanda, quî extendatur, & quî dividatur.

Extenditur æquator in lineam rectam, ut æqua ejus pars in utraque facie tabulæ depingi poſſit, & ut gradus ejus tanto evidentius poſſent in tabula depingi, & ad tranſcurrentes Meridianos referri. velut filum è rotunda in lineam rectam extendi poteſt, ita hic Æquator. Dividitur autem extenſus æquator per ſuas areolas veluti gradus, quorum in una facie tabulæ ſunt 180 gradus depicti, in altera totidem, in medio autem facierum partes Æquatoris ſunt continuæ.

Meridianus difficulter in plano pingi poteſt, & tum picturâ, tum uſu reliquam omnem deſcriptionem tabularum Geographicarum cum Æquatore in ſe continet.

Meridianus eſt vel principalis, vel minus principalis in mappis.

Principalis eſt, qui circa utramque mappæ faciem veluti ejus ora & margo pingitur.

In globo medium tranſit; in plano verò & mappa extremam tabulæ oram lambit & cingit. In utraque facie mappæ unus tantum eſt æquator, duo tamen diſtincti Meridiani in duabus faciebus picti: qui tamen duo ita ſunt conſiderandi, tanquam in unum coaluiſſent. Quando tabula non eſt rotunda, ſed quadrata, tum Meridiani in rectum extenduntur.

Minus principales Meridiani in mappa ſunt lineæ inſtar ſemicirculorum intra primarii Meridiani

ridiani ambitum per denos quoſque gradus Æquatoris verſus utrumque polum ducta.

Circulus major ſecundarius eſt Zodiacus, qui ut in globo terreſtri, ita quoque in mappis magis adornatum, quàm ad uſum facit.

Circuli minores Geographici ſunt Æquatoris paralleli: & hi vel nominati, vel innominati.

Nominati ſunt duo Tropici, Cancri & Capricorni; & duo Polares, Arcticus & Antarcticus, qui inſigniuntur lineis rubellis, & in duabus faciebus ultra & cis Æquatorem videntur.

Innominati paralleli ſunt, qui lineis nigellis pinguntur, eodem nempe modo, ut eorum dimidium ſit in una parte verſus polum Arcticum, alterum in altera parte verſus Antarcticum.

Tantum de Circulis Geographicis: ſequuntur locorum pictura, quæ ſunt vel majora; nimirum, regiones, Inſulæ, maria, flumina, quæ coloribus ſuis inter ſeſe diſtinguuntur: Vel minora, ut montes, ſilvæ, ſcopuli, qui ſubfuſco & viridi colore pinguntur. Item urbes, quæ præter nomina turres habent adjectas.

Hydrographica ſeu nautica pictura eâdem ratione intelligitur, quâ in globo terreſtri.

Non neceſſaria pictura in tabula Geographica eſt avium, navium, animalium, &c. quæ ſunt opera è cerebro & phantaſia cælatorum ad oblectamentum oculorum nata & facta.

CAP. VIII.

De Mappa particulari.

HActenus de mappa generali: ſequitur particularis, quâ enodatâ, ad particularem & interiorem locorum deſcriptionem ibimus.

Particularis hæc mappa habet ſua neceſſaria, & non neceſſaria.

Hæc ſunt picturæ navium & aliarum cælaturarum, nec non dedicationum cum ſuis ornamentis.

Illa ſunt Circuli, ſcala milliarium, & urbium pictura.

Circuli majores, nimirum Æquator & Meridianus, in tabula Europæ non videntur: quia nullus locus in Europa ſub Æquatore ſitus eſt, nec etiam Meridianus principalis ob eam ipſam cauſam: In tabulis verò Aſiæ, Africæ & Americæ Æquator pingitur, quia loca iſta in iſtis mundi partibus ſub Æquatore vel proximè ad ipſum ſita ſunt. Ita neque circuli minores, ut Tropici & Polares, pinguntur niſi in illis tabulis, quarùm loca ad hos Circulos adpropinquant.

Loco Æquatoris igitur & Meridiani pingitur aliquid ſimile & Analogum propter longitudines & latitudines locorum inveniendas.

Analogum hoc habet lineas reſpondentes vel Æquatori, vel Meridiano; utræque ad oras mapparum ſunt depictæ rectâ, non curva figura, & graduum numero diſtinctæ.

Quæ Æquatori reſpondent, & ejuſdem ſunt

paral-

paralleli, ducta ſunt tranſverſæ ad oram tabulæ ab ortu in occaſum, & vocantur ſcalæ longitudinis, propterea quod in iis numerentur gradus longitudinis.

Quæ Meridiano reſpondent, ſunt lineæ aſcendentes & deſcendentes, & pictæ ſunt in margine tabulæ à Septemtrione in Meridiem, & vocantur ſcalæ latitudinis.

Per has ſcalas latitudinis notatur diſtinctio graduum, & aſſignantur gradus elevationis poli ſecundùm diſpoſitionem præcipuorum locorum in illa regione, & quouſque Elevatio poli ſe in iſta regione extendit. Hinc ſi ſcire voles ſitum urbis alicujus in tabula, ſtatim invenies, ſi ſcias elevationem poli; nam è regione graduum elevationis poli in area tabulæ, urbis nomen inſcriptum invenies.

Scala milliarium eſt areola quædam tabulis adpicta cum circino plerunque addito in hunc finem, ut proportione milliarium in quaque regione poſſit diſtantia à loco in locum inveniri.

Diſtantia autem hæc in ſcalis invenitur, vel per Circinum, vel per filum.

Per circinum talis eſt.

Unus circini pes uni urbi infigitur, alter pes alteri: deinde circinus ad ſcalam milliarium applicari debet, ita conſtabit diſtantia milliarium, hujus urbis ab illa. Hic modus in urbibus propinquis quidem liquidus eſt, in remotioribus verò non item; Ideò circinus debet extendi ad longitudinem ſcalæ, ſi unâ vice urbem aſſequi non potes, & deinde retentâ circini extenſione ſecundum

lineam rectam ab urbe una ad aliam procedatur, & quoties circini pes porrò vertitur, toties tot milliaria numerari debent, quot ſcalâ continentur.

Per filum talis eſt.

Illud ab una urbe ad aliam extenditur hoc modo: Inſere filum ſpatiolo rotundo unicuique urbi appicto, & extende ad aliam, poſt applica illud ad ſcalam milliarium: ſi verò filum excedit ſcalam milliarium, tunc toties repete extenſionem fili ad ſcalam, donec ad finem fili pervenias.

Pictura urbium diſcriminatur diverſis formis; ut cælatori in mentem venit, urbes à vicis, hos à caſtellis & arcibus, arces à monaſteriis, hæc à pagis diſcriminare: pro omnium eorum à ſeſe invicem diſtinctione ſolent appingere tabellulam quandam cum diverſis turribus & ædibus, additâ explicatione, quid quæque forma in mappa ſignificet.

Tantum de exteriori Geographiæ explicatione, quâ liber primus finitur; ſequitur liber II. de interiori Geographia.

COMPENDII GEOGRAPHICI

LIBER II.

De interiori Geographia.

CAPUT I.

De Europa in genere.

Abſolutâ exteriori geographiâ, accedemus ad interiorem ejus explicationem, quæ in IV. Mundi partibus conſiſtit.

Has dividemus in Veteres & Novam.

Veteres ſunt Europa, Aſia, Africa.

Diviſio hæc exiſtimatur habere ſuam originem à numero filiorum Noë, Sem, Cham, Japhet: quorum illi Aſiam, iſti Africam, huic Europam obveniſſe poſt diluvium putant.

Europam conſiderabimus vel ut animatam, vel ut inanimatam.

Paucula de nomine & figura Europæ. Quoad nomen ſ. etymon Europæ, *Herodot. lib.* 4. putat illud deſcendiſſe ab Europa Tyria, Agenoris Phœnicum, alii Lybiæ Regis filia, quæ à Jove in bovem transformata narratur, rapta & per mare in Cretam avecta. *vide Atlant. & Ovid. lib.* 3. *Metamorph.*

Figura Europæ volantis Draconis, & amictæ mulieris effigiem non obſcurè exprimit. Draconis figura talis eſt, ut ejus caput Occidentem ſpectet, qua ſita eſt Hiſpania:

alæ autem in Auſtrum & adverſam partem utrinque expanſæ, ſint Italia & Cimbrica Cherſoneſus; reliquæ regiones collum, ventrem & caudam conſtituunt. Amictæ mulieris effigies ſequentibus verſiculis propiùs exprimitur:

Hiſpanus caput eſt, cum Belgide Gallia cervix
Pectusque eſt, Latium dextra, globus Siculi.
Cervici magna eſt obverſa Britannia, Suecam,
Palma ſiniſtra Dano limite claudit humum.
Diſtendit medium major Germania ventrem,
Cujus in umblico terra Bohema jacet.
Pannoniam dextrum femur, Illyriumq; ſiniſtrum,
Poſt Polonos, Pruſſos, Moſcovioſque refert.
Tibia dextra Myſos Superos caſtraq; Getarum,
Livonas & Litavos tibia læva notat.
Cum Græcis Maurisve Dacis pes exhibet unus
Bulgariam: partem Rußidos alter habet.

Animata ſunt Incolæ, quorum videantur linguæ & mores.

Linguæ potißimum tres ſunt: Romana, Germana & Slavonica; unde Romaniſmus, Teutoniſmus, & Slavoniſmus.

Primus inter Italos, Gallos & Hiſpanos verſatur, & iis pro fundamento ſervit: Secundus apud Helveticos, Germanos, Belgas, Anglos, Danos, Norvegos & Suecos, uſum habet: Tertius apud Slavos, Polonos, Bohemos: relictis tamen unicuique regioni in ſua lingua diverſis dialectis. Harum trium linguarum neceſſitate *in cap. ult. Aur. Bul.* Electoribus ſecularibus injungitur, ut liberos ſuos ſtatim à ſeptimo ætatis anno præter linguam Germanicam, quàm naturaliter indi-

inditam, & ab infantia didiciſſe præſumuntur, in Grammatica Italica ac Slavonica lingua faciant erudiri. *vide Thuan. lib. 56. & Limn. de jure publ. lib. 3. c. 7.* Ad has tres originales linguas, Hungarica neutiquam referre poteſt ex ſequenti fundamento. Olim Hungaria dicta fuit inferior Pannonia, cujus incolæ Pæones ſive Pannones vocabantur. Græcis vox Pæon idem eſt quod percuſſor, ein balger/ ein krieger der freudig darein ſchlägt. Gentes hæ ſedem ſuam ad fluvium Strymon prope Macedoniam habuerunt: ubi verò propiùs Danubium verſus ſedes ſuas poſuêre, domicilii locus obtinuit Pannoniæ nomen, mutato paululum antiquo nomine. Pòſt Gothi regionem illam intrarunt, quos Attila cum ſuis Scythis, qui Hunni dicebantur, ex ſilvis Aſiæ magno numero eductis, invaſit, ſibique ſubjecit. Extincto verò Attila, Gothi ſuperſtites Hunnos in Pannonia deleverunt, regionem ſibi ſubmittentes. Annis centum elapſis, tempore Imperatoris Juſtiniani, Hunni, quibus ſe junxêre Avares, rediêre, omnemque Thraciam cum circumſitis regionibus, uti & Hungariam ſive Pannoniam expugnarunt. Avares hi fuerunt confines Hunnis populi, oriundi è provincia, quæ & hodiè nomen Jura adhuc tenet, ſita ad poſteriorem Moſcoviæ partem: Eoque tempore nomen Hungarorum primò in uſum venit, quod è binis vocibus Hunni & Jura compoſitum, in unum nomen Hungari coagulit. Apud Jornandem hoc vocabulum ſcriptum exſtat:

Hunnivar combinatum è nominibus Hunni & Avares, quod hæ gentes juxta junctæ, unius inſtar populi exiêre, Pannoniamque ſimul ſibi ſubjugavêre. Hoc pacto regnum hoc à tempore Juſtiniani ad Reges uſque hodiernos continuò ad annos DCCC & ampliùs apud Hungaros fuit. Hinc pro concluſione in proclivi eſt dicere, Hungarorum linguam Scythicam in parte & Moſcoviticam eſſe ab origine, nec quidquam cum Sclavoniſmo habere commune.

Mores pauci boni, multi mali de Europæis ſparguntur, & hi ex temperamento hominum & loci ſitu deducuntur.

Euphor. cap. 2. in Icon. An. ait: In Europæorum moribus licet utiliſſima contemplatione verſari, & naturæ divitias numerare, quæ tot habitus, mentiumque variarum impetus unâ membrorum ſimilitudine obtexit. Cæteras verò plagas eadem diligentiâ ſcrutari, minus fuerit ad conſortii uſum, quàm ad curioſam voluptatem.

Frider. Marſelaer in ſuo legato. lib. 1. diſſert. 29. ait; ut nemini plus æquò detrahere aut tribuere videar, quosdam ſic delineabo, ut in hanc potius favoris partem propendiſſe videri malim, quàm in iſtam redarguitionis. Itaque cum ſingulis hominibus, uti & univerſis populis ſuus quidam genius, ſuæ labes, ſuæ laudes ſint, aliquot nationes ſequenti modo blando penicillo depingit. *Germanos*, infit, videre eſt corporis majeſtate venerabiles, ſermone pariter & ſilentio graves, in actionibus ſerios, induſtrios, labo-

borioſos, quibus ingenuitas, fides, conſtantia hæreditaria eſt, candor potius quàm aſtus naturalis; nobilitate antiquos, veteri militiæ diſciplinâ claros, literaturâ & mechanicis artibus eminentes, *Euphor. ait. c. 5.* Gens armis egregia, & quæ pacem ferre poſſit. Tardè & cunctantibus conſiliis ad tumultus concitantur: ſed excitos, longa tempeſtas, & hominibus digna, exercet. (*Teſtis eſt hodiè ſtatus Germaniæ.*)

Galli ſermone faciles, inceſſu ac totius corporis motu agiles gracilesque, in congreſſu morumque civilitate effusâ quadam benignitate blandiuntur: inſignes ſunt equites: in pugnis minaces, nec minùs metuendi, quia præcipites: denique ingenio, conſilio moribus à moroſitate alieni. *Guicciard. de illis ait*: Franceſi per natura più pronti ad acquiſtare, che prudenti à conſervare.

Botereus Gallus de ſuis Sympatriot. lib. 5. Commen. tom. 1. ſic ait: Irrequieta mens Galorum & otii impatiens, nihil agendo malè agere diſcit. *Idem lib. 3. tom. 1.* Galli facilè poſtquam civilis veſania deferbuit, ad ſanitatem redeunt, nihil tenaces veteris odii, ut nonnullis gentibus peſſimè inſitum eſt, mendaci vultu obſequia & amicitias ſimulare, cùm alto pectore inteſtina odia inſculpta nutriant, eruptura cum ulciſcendi ſe dat opportunitas.

Hiſpanica natio morum ubique retinens eſt Hiſpanorum; inquit *Fam. Strada. de bello Belg. pag. 47. edit. Romanæ. de illa ita Marſel.*

Hiſpani

Hiſpani ſtaturâ ſunt mediocri, ſupercilio elato, geſtu maſculo, ſermone oratorio, ut inceſſu ſic facto lenti, ab ebrietate & temeritate alieni, meliori fortunæ inhiantes, imò quaſi fiduciâ ſecuri, in conſiliis cunctabundi & providi, reconditâ inprimis mente; pedeſtri militiâ laudatiſſimi, arma & pacem temporibus prudentiſſimè æſtimantes. Sed & corporis cultum amant, ſordesque palàm odere, nec à patrio ritu facilè diſcedunt, &c.

Habitu compoſito *Itali*, inceſſu & ſpecie virili, victu frugi ac ſobrii, in congreſſibus circumſpecti & callidi, compoſitâ nonnunquam ad vindictæ languorem exulceratæ mentis larvâ: ſermone eloquentes, ingenio & judicio acres, ad ea quæ futura ſunt profundè intenti, ad rerumpublicarum gubernationem validi, ſibi cauti, erga exteros officioſi.

Eſt & quoddam hominum genus facie venuſtiore, idiomate abrupto, melancholicum, & tamen vivido ingenio, exterorum impatiens, venationi prædæ & peregrinationi addictum, navigio conſpicuum, muſicam & lautas menſas propriè ſibi vindicans: cæterum longi magis laboris & incommodi fugax, quàm certi periculi, aut leti: fortior his quippe victoriæ cura eſt, quàm vitæ. *Britannos* non expreſſi, & tamen deſignavi. De *Belgarum* indole Carolus V. edixit, nulli ſunt populi (modò paternè habeantur) qui ſervitutis nomen magis exſecrentur, magis patiantur. *Strada p.* 204. *Edit. Rom. Idem pag.* 308. Sic eſt Belga: mollibus plerumque

rumque remediis melius ſanatur, contra vim pervicax obnititur; ſequiturque faciliùs, quàm ducitur. De iis Marſelaer: *Belgas*, ut plurimùm, ad vitia & virtutes æque proclives novimus, ſago & togæ aptos, libertatis ſtudioſos; externæ magis æmulos elegantiæ, quàm ſuæ æſtimatores; mutuæ laudis parcos buccinatores; injuriarum atque beneficiorum tam facilè immemores, quàm ad pacem & humanitatem promtos; in domandis verò affectibus, in OEconomia, in omni fortunæ calculo, in victu, amictu, moribus, peculiari quadam tinctos mediocritate.

His ſubjungit Polonos & Turcas, quos ibi vide. Poſſemus illa quæ induſtrio labore de gentium illarum moribus in peregrinatione noſtra notavimus, heîc adſcribere: ſed occulta iſta maneant bono conſilio, remitto potiùs lectorem *ad Icon. animor. Barclaji, ad Conſultationes Lanſii, ad Gothofredum, qui vertit in Latinum ſermonem* les Eſtats, Empires, & principantez du monde, ad alios, alios; ne hic, dum compendium ſcribimus, obliti promiſſorum, pro opuſculo codicem ſcribere videamur.

Inanimata Europa conſideratur, primò reſpectu poli, & ſoli.

Poli reſpectu eſt, quod Europa in IV & IX clima incidat, inter X & XX parallelos, & ita tota Septentrionalis & Occidentalis ſit, cis Cancri tropicum, intraque circulum Arcticum comprehenſa.

Ad ſolum refero Terram & Aquam.

Terra dicta videtur à terendo, quod ſuperio-

periora ejus noſtris pedibus terantur. Ita varias ſortitur appellationes pro ſitu ſeu vario poſitu: unde natæ voces geographicæ: Continens, Inſula, peninſula, Iſthmus, promontorium, & aliæ. Continens longo tractu cohæret, nullis aquis disjuncta. Inſula contrà, undique aquis cingitur, & à continente disjungitur. Peninſula ſeu Cherſoneſus, majori ex parte aquis cingitur. Iſthmus eſt terra anguſta inter duo maria. Promontorium montanum conſpicuâ altitudine prominet in mare.

Terræ nomine veniunt montes & ſylvæ.

Montes Europæi præcipui ſunt Pyrenæi, qui Galliam ab Hiſpania ſejungunt. Apenninus Italiam omnem ſcindens, quaſi ſpina tergum hominis, à quo oritur Garganus Apuliæ & Veſuviæ Campaniæ mons. Item Gaurus & Colliculus Valernus, cujus æmulus eſt Aulon mons Calabriæ. In Bœotia Parnaſſus, ubi Helicon, Cithæron, Cyrrha & Aſcra. In Attica Hinnetus: in Arcadia Menalis, Erymantus & Tagietus. In Theſſalia Pindus, Pholoe, OEta & Oetys. In Macedonia Olympus, cui Peleon & Oſſa ſunt vicini. In Thracia Rhodope Iſmarus, Hemus & Panigeum. In Sarmatia Carpathus, eam à Pannonia dirimens, & montes Maromoruſii à Tranſylvania eam diſtinguentes. Sudeti in Bohemia. Hybla & Ætna in Sicilia. Hecla in Iſlandia. Alpes in Helvetia, perpetuâ nive albicantes. Silvæ ut in Germania Hercynia, feris ſunt abundantes bonis, noxiis maximè expertes.

Aqua

Aquæ nomine veniunt mare, flumina, fontes, lacus, & paludes.

Mare uno nomine dicitur Oceanus: hic non ſolùm Europam ſed & totam terram habitabilem circumdat, ſalſus, ferè & æſtui reciproco obnoxius.

Hujus videbimus diſtinctionem, & Accidentia.
Diſtinctio varia eſt, uti & diverſæ denominationes.

Primò à IV mundi plagis ſeu cardinibus, quando dicitur Orientalis ſive Eous, Occidentalis, Meridionalis ſive Auſtralis, Septemtrionalis ſive Borealis. *Secundò*, à qualitatibus ſuis, ſeu proprietatibus quibuſdam, uti ad meridiem circa Africam, quando dicitur aſperum, ob ſyrtes & brevia: Item rubrum, à colore vel arenis. Ad Occidentem, pacificum & tranquillum. Ad Septemtrionem, mare concretum, congelatum, pigrum ac propè immotum; item mortuum, ob perpetuam caliginem. *Tertiò* ab iis, quas in utroque orbe veteri & novo alluit lambitque, regionibus: uti ad Orientem, Oceanus Sericus à Serica regione, quæ nunc eſt Cataria, Sinenſis, Hippadis pelagus, vulgò Archipelagus S. Lazari, ob multitudinem Inſularum in eo, ad comparationem Archipelagi Europæi, ſive maris Ægæi.

Ad Meridiem Oceanus Indicus, Perſicus, Arabicus, Æthiopicus. Ad Occidentem, Atlanticus, inde à Nigro fluvio Hiſpanicus, Cantabricus, Aquitanicus, Britannicus, Caledonius, Germanicus, Cimbricus: denique Mare del Nort, & mare del Zur, ſunt nomina

mina nova Oceani circa orbem novum. Ad Septemtrionem dicitur hyperboreus, Sarmaticus, Scythicus, Tartaricus. Aliàs Maria Europæa tria ſunt; Primò *Oceanus*, qui à Septemtrione Meridiem verſus progrediendo, primùm Deucaledonius, tùm Germanicus, deinde Britannicus, pòſt Aquitanicus, inde Cantabricus, & Hiſpanus dicitur, à regionibus quas alluit. Secundò, *Mare Mediterraneum*, quod inde à mari Ægæo ſeſe diffundens, & varia nomina, ut ſunt Jonicum, Adriaticum, Tyrrhenicum, Gallicum, & Ibericum, ſortiens juxta Gades Inſulam, ubi Herculis columnæ viſuntur, per fretum Herculeum, quod hodiè Eſtrecho de Gibraltar vocitant, in Occidentalem Oceanum immittitur, aut etiam ex eo emittitur. Tertiò, *Mare Balticum*, affluxum & refluxum maris ignorans, quod ab Helleſponto Danico & ab urbe Lubeca initio facto per CL. millaria inter Saxoniam, Pomeraniam, Sueciam, Boruſſiam, Livoniam & oppoſita Daniæ & Finlandiæ litora VViburgum uſque verſus ortum extenditur.

Accidentia Oceani ſunt freta, & ſinus.

Freta ſunt anguſtiæ Oceani arctati à terra, eoque æſtu majore ferventis.

Præcipua cenſentur in orbe veteri, *Gaditanum*, hodiè Eſtrecho de Gibraltar, Calpe Hiſpaniæ & Abylâ Africæ montibus concluſum, quos montes columnas Herculis dixêre: *Siculum, Helleſponticum, Cimbricum & Naſſovicum*, ſive *Vaygatz*.

Sinus dicuntur, ubi Oceanus in certam terræ partem ſe longè latéque immittit. Hu-

Hujuſmodi ſunt in Orbe veteri, mare mediterraneum ſeu internum, quod inter Europam, Aſiam atque Africam diffunditur, & à variis provinciis varia ſortitur nomina, quin etiam alios ſinus minores efficit, Adriaticum, nunc Golfo di Venetia, Ægæum (Archipelago vulgò) Euxinum, ſive mare maggiore, & paludem Mæotin (vulgò mare Zabache.) Sinus Cimbricus ſeu Codanicus, quem uſitatè Balticum mare, & vernaculè Die Oſtſee vocant (quod æſtum marinum neſcit) verſus Septentrionem in duo brachia, ceu ſinus minores diſpeſcitur, Boddicum & Finnicum.

Flumina Europæ ſunt diverſa, uti ſunt diverſæ provinciæ.

Nobiliora in Hiſpan. ſunt Tagus & Iberus: Ligeris, Sequana, Rhodanus, Araris, Garumna, Moſella, Moſa, Scaldis in Gallia: Tiberis, Padus, & Atheſis in Italia: Cepheſus in Bæotia: Alphæus & Aminon in Achaia: Laddon, Eraſmus, Styx in Arcadia: Eurotus in Laconia. Strymon & Hebrus in Thracia. Volga, Tanais & Boryſthenes in Roxolania: Duna in Livonia, Bregela in Lithuania: Viſtula in Polonia, Hyppanis ſeu Brutus in Podolia, Tyras ſeu Tyeſter in Valachia: Aluta & Tibiſcus, Moroſus, Caculus in Tranſſylvania: Rhenus, OEnus, Albis, Odera, Viſurgis, Danubius in Germania. Savus, Dravus in Pannonia. Tameſis in Anglia: Hymera in Sicilia. Fontes in Bæotia Tyrce, Caſtalus, Parmeſſus, Aganippe: In Italia, Abano: In Sicilia, Arethuſa. Lacubus abundat

dat Helvetia & Moſcovia; in Italia Tarſimenes, Lucrinus, Avernus, Bajæ. In Germania Lacus Bodanicus & Lemanus. Palu[s] Mæotica magni nominis eſt, quam influi[t] Tanais ſupra Tauricam Cherſoneſum.

Secunda Europæ conſideratio eſt reſpectu terminorum, ſeu finium.

Terminus itaque eſt vel exterior, vel interior. *Exterior eſt circumferentia, ſeu ambitus.*

Hic reſpectu Orientis pro fine habet mare Ægæum, Helleſpontum, Propontidem, Boſphorum Thracicum, Pontum Euxinum, Boſphorum Cimmerium, lacum Mœotin, & tandem Tanain flumen ad Tujam uſque oppidum, inde linea ducatur ad ripam Obii fluminis, à quo eatur ad Oceanum uſque. Reſpectu Meridiei habet mare internum ſeu mediterraneum, fretum Herculeum ſeu Gaditanum. Reſpectu Occidentis habet mare Atlanticum. Reſpectu Septemtrionis mare hyperboreum ſeu Septemtrionale, quod extremis maris glacialis finibus clauditur verſus Septemtrionem.

Interior terminus eſt in longitudine & latitudine.

Longitudo ejus incipit ab Hiſpaniæ promontorio ſacro, quod hodie dicitur Cabo de Vincente, & deſinit ad Obii fluminis oſtium, milliar. German. circiter 900.

Latitudo ejus eſt à Tanaro Peloponneſi promontorio ad Schrickfinniæ promontorium Rutubas, vulgo dicitur Noorttyn *ſeu* Noortkaep/ *complectitur milliaria 550.*

Tertia Europæ conſideratio eſt à naturalibus acci-

accidentibus, quæ ſunt in cœli temperie & terræ fertilitate.

Cœli temperies eſt temperatiſſima & clementiſſima, unde fit ut omnis ubique inhabitetur, exceptis locis, quæ ſupra LX gradus latitudinis propter frigora non poſſunt inhabitari. Fertilitas producit fruges, arbores, plantas, animantia, metalla, vites, lupulum è quo factitius potus cereviſia ſupplet locum vini: non minus & Homines, in quo capite ſummam ejus populoſitatem, fertilitatem videre habes & præſtantiam. Hinc per armorum virtutem per ſtudium agriculturæ, artium mechanicarum, artium liberalium, & quoad linguas & quoad res populoſa facta eſt Europa: nullibi plures docti, plures ſcholæ, plures libri quàm in Europa, nullibi celebriora imperia quàm hîc; quia hic bonæ leges, jura, & diſciplinæ: nullibi vera religio & Eccleſia Chriſti frequentior, quàm hic.

Quarta Europæ conſideratio eſt in diviſione, hanc faciemus in regiones continentes, peninſulas & Inſulas.

Continentes ſunt, Hiſpania, Gallia, Germania, Italia, Illyricum, Græcia, Thracia, Dacia, Hungaria, Polonia, Tartaria, Moſcovia.

Peninſulæ ſunt, Norvegia, Suedia, Gothia.

Inſulæ reſpectu triplicis maris ſunt triũ generum.

In Oceano, Anglia, Scotia, Hybernia ſive Irlandia, Iſlandia, & Gronlandia.

In mari Baltico, Dania cũ aliis ei adjacentibus.

In mediterraneo, Sicilia, Sardania, Corſica, Creta ſive Candia, Majorica & Minorica.

C A-

CAP. II.

DE HISPANIA.

H*Iſpaniam conſidero ut Continens, & Contentum.*

Hiſpania primum dicta fuit Iberia ab Ibero fluvio: poſtea ab Heſpero Atlantis fratre, ſeu potius à ſtella lucidiſſima, quæ veſpertino tempore in Occidente apparet Solem ſubſequens, vocata eſt Heſperia. Denique ab Hiſpali urbe ad fluvium Guadalquivir ſita, dicta eſt Hiſpalia, poſt corrupta voce Hiſpania. Sunt & qui à voce Σπανία derivant, propter aſperitatem locorum, ſterilem, incultam, nec habitatam terram.

Continens eſt ipſa regio, ſive terra; cujus ſitus quantitas, qualitas & diviſio videatur.

Situs eſt reſpectu terræ & aquæ.

Ratione ſitus habet ſuos terminos: ab ortu ſunt Pyrenæa juga, quibus à Gallia diſcriminatur, ab Occaſu Oceanus Atlanticus, à Septentrione Cantabricus, à Meridie mare Herculeum & fretum Gaditanum. Hinc ejus figura repræſentat corium bubulum humi protenſum, cujus partes ad collum pertinentes in adhærentem ei Galliam porriguntur.

Terra habet montes, promontoria, & ſylvas.

Omnis Hiſpania ubi ferè eſt montoſa, nec eam niſi mulis permeare potes; curruum hic nullus uſus, equorum pauciſſimus. Montes præcipui ſunt. *Primo* Pyrenæi, los Pireneos (Pyrenæorum nomen ab igne, quod crebris fulmi-

fulminibus feriantur, vel quod ejus ſylvæ per paſtores fuerint combuſtæ, derivare quidam volunt.) qui Hiſpaniam à Gallia ſeparant. Eorum longitudo xv. eſt milliar. quæ diverſis nominibus montes dividit. In Guipuſcoja eminet mons *S. Adriani*, ubi aſcenſus periculoſus; ipſe mons ubi pervius, non niſi unum mulum ob anguſtiam intrare admittit. In antro iſto petroſo offendis (Conf. Journ. 383.) fontem, tabernam vinariam & ſacellum, accenſis faculis altius anguſtias rupis emetiri potes, uſque dum in ſummitate conſtitutus mare Occidentale viſu aſſequi licet. Neceſſitas & induſtria artem invenit & modum, quo montem hunc pervium faceret, & in eo cryptam perfoderet, cujus latitudo mediocris, longitudo ad ſagittæ jactum ſe extendit: Ex Hiſpania venienti anguſta, obſcura & deorſum ducens via obvenit; ad exitum Galliam verſus gratum lucis beneficium affulgere incipit, ibique antrum porta clauditur. Non hinc longè abeſt *Rocida vallis*, (Roncevalles) celebris ab interitu Rolandi, *Mariana. lib. 7. rerum Hiſp. c.* 11.2. *Montes d'Occa*, olim Idubeda, qui à Pyrenæis in parte egredientes, ad mare mediterraneum Tortoſam verſus deſcendunt. 3. *Mons Oroſpeda* qui originem à Moncajo ducens deorſum ad fretum Herculeum ſe extendit. Hujus pars eſt rupes præcelſa, quæ ex Hiſpalenſi urbe Granatam eunti prope Archidonam ſe conſpiciendam offert. Famam habet à memorabili amoris exemplo. Incolis dicitur la penna de los enamorados, a-

C man-

mantium rupes. *Marian. l.19. c. 22. Merula cap. 4. lib. 2.* 4. *Mons Calpe* ad fauces freti Gaditani (hodie *Eſtrecho de Gibraltar*) cui in Africa Abyle reſpondet (nobis *Ceuta*) olim columnæ Herculis. 5. *Mons Ivi* penes Barcinonem, quaſi mons Judæorum, quorum ibi quondam ſepulchreta, ſignis adhuc relictis ſuis videnda. de his montibus videantur *Anton. Beut. in Chron. Hiſp. Marin. Siculus, Merula, Hieron. Paulus. Nonius & alii.*

Promontoria diverſa nomina obtinent.

In Oceano Cantabrico olim promontor. Scythicum hodie eſt, 1. Cabo de las pennas de Guzan. 2. Cabo d'Ortegal. In Oceano Occidentali, Cabo de finis terræ, olim Nerium promontorium: Cabo de Caſcais prope Ulyſipponem: Cabo de Vincente in Algarbia, olim ſacrum promontorium. &c. In mari mediterraneo. Cabo de Gates, olim Claridenum promontor. Cabo de Palos, olim Scombraria prom. Cabo Martin, olim Ferraria; Cabo de Creus ad mare Gallicũ, &c.

Silvæ cæduæ complures ſunt, unde materia ſtruendis navibus.

Nemora item, uti apud oppidum, cui à monte majore nomen, in quo omne genus arborum fructiferarum ſola natura plantavit, ingentis altitudinis & craſſitudinis. Item apud oppidum Bejetanum, ubi Caſtaneæ arbores craſſiſſimæ, inter quas una dicitur in ambitu habere XL pedes. In Andaluzia eſt vivarium ducis Medinæ Sidoniæ, quod vulgo el boſco del Duque nominatur, circuitus ejus eſt aliquot milliarium.

Aqua

Aqua habet mare, quo refero ſinus, portus, lacus, fontes, flumina & pontes.

Maris nomine venit Oceanus Cantabricus, Occidentalis, & mare mediterraneum, quibus Hiſpania ferè omnis, exceptâ illa parte ad montes Pyrenæos cingitur.

Sinus ſunt IV *celebres, Sucromenſis non longè à Valentia, puerto d' Alicante, qui & Illicitanus ſinus dicitur; Virgitanus ſinus non longè à Cartagena in mari mediterraneo & Baja de Caditz, hoc eſt, ſinus Gaditanus.*

Portus famoſiores ſunt, S. *Sebaſtian, Bilbao Ribadeo, Ferol, Corunna, ciudad di puerto, Liſabona, Setubal, ſive S. Yves, porto S. Maria, S. Lucas de Barameda, Calis Malis, Gibraltar, Malaga, Cartagena, Alicanta, Grajo penes Valenciam, Tarragona, & Barcelona.*

Lacus ſunt 1. *prope oppidum Bejaram admirabilis, qui futuram pluviam, turbinemque magno aëris ſonitu pronunciat, adeò ut ejus murmur quaſi tauri mugitus ſæpe ad* XVIII. *milliaria paſſuum fuerit auditum.* 2. *In cacumine montis ſtellæ lacus eſt, in quo fragmenta navium ſæpius reperiuntur; diſtat verò a mari plus* XII *leucis, quoties mare intumeſcit, ibi etiam exæſtuat, & tempeſtates audiuntur.* 3. *Lacus Cantabriæ, in quem fulmen decidit, & repertæ ſunt* XII. *ſecures,* teſte Suetonio *in Galba. Item ſtagnum Albūfera prope Valencias. Vide* Marinum Sicul. de rebus Hiſp. nec non Merulam, &c.

Fontes, huc refero thermas & alias ſalubres aquas.

Ad oppidum Orenſe in Gallicia ad fluvium Minium fons eſt nomine Burga, ejus

aquæ inſerviunt ovis ebulliendis. Non longè à civitate Burgos, fons eſt profluvium alvi ſiſtens: Ejuſdem valoris eſt fons Xenit. Penes Antequeram alius eſt calculum infringens: alii ſunt in Galliciæ oppido Lugo, ſalubres morbis depellendis. Badajoz opidum numerat 1500 fontes, vide *Mar. Sicul. lib.* 1. *& Merulam cap.* 7.

Flumina in Hiſpania CL. *notantur, ſed omnia non ſunt navigabilia; majora ſunt ſequentia:*

Iberus (hodie Ebro) erumpit apud Cantabros ex Idubeda monte, illinc digreſſus verſus Orientem, veluti Danubius, labitur in mare mediterraneum penes Tortoſam. *Durius*, (Duero hodie) maximus Hiſpaniæ fluvius ex Idubeda monte, ubi Sierra de Cogollo nomen obtinet, ſupra Numantiam ortus rapidiſſimo curſu deſcendens ad Portugalliæ opidum, quod portus dicitur, Occidentali ſe miſcet Oceano. *Tagus* (hodie Tajo) aurifer, piſcium Oſtrearumque ferax, in Oroſpedæ jugis natus Toletum petit, inde mediam ferè ſecans Portugalliam, ultra Olyſipponem in Occiduum ſe exonerat Oceanum. *Anas* (hodiè Rio Guadiana) ex agro Laminitano, hodie Campo de Montiel, originem trahens ad Metallinum opidum terræ penetralibus ſe ſepelire narratur, (hoc verò magis ex vulgi opinione quàm ex rei veritate eſſe aſſerunt ii qui curioſi iſta inquiſivere) poſt aliquot leucas iterum erumpens ad opidum Villartam, diverſasque urbes prætergreſſus ad opidum Ayamonte Oceanum ingreditur. Fluvius hic Ana a-

quam

quam habet adeò inſalubrem, ut ne piſces quidem illius (anguillas excipio) probentur. *Bætis* (hodie Guadalquivir) ex Oroſpeda monte, ubi ipſi nomen Sierra de Alcaraz, oriens, Cordubam & Hiſpalin præterlapſus, nec non S. Lucar de Barameda, oſtio unius leucæ amplo non procul à Gadibus in mare Atlanticum influit. *Minius* (hodie Mino) in Gallicia propè oppidum Caſtel verde, oriundus, opida Lugo, Orenſe perlapſus infra Valentiam in occiduum Oceanum ſe exonerat ad opidum Camina *Sicoris* (hodie Segre) ſub Pyrenæis montibus naſcitur, Ilerdam opidum præterlabens Ibero flumini ſe jungit.

Pontes in Hiſpania, teſte Merulâ, ſeptingenti & plures numerantur, pauci è ligno, plurimi è lapide vivo, longi, lati, & elegantiſſimæ ſtructuræ, inter illos eminet Aquaductus Segoviæ, nobile opus Romanum; & venerandæ antiquitatis & majeſtatis pons Alcantaræ.

Pontes hi fluminibus incumbunt piſcoſis, at ab iis longius diſſitæ urbes mediterraneæ penuriam piſcium habent, uti Madrittum & alia loca, quibus particulari indultu licitum diebus Saturni veſci carnibus ſuillis, inteſtinis, item pedibus, & capitibus animalium, uti viſu & uſu nobis obvenit: diſpenſationem Romanam neceſſitas flexit, Papa largitus eſt Regi bullas (Cruzadas appellant) quas venales ad ſubditos Rex mittit pro carnibus die Sabbathi comedendis, alibi quod devotione negatum, hic auro venale; alibi quod peccatum, hic venia eſt.

Tantum de ſitu: Quantitas Hiſpaniæ eſt vel exterior, vel interior.

Exterior eſt in circuitu, qui dicitur continer ſexcentas leucas & amplius.

Ita ab Oriente habet montes Pyrenæos à Septentrione mare Cantabricum, ab Occaſu Atlanticum, à Meridie Mediterraneum.

Interior eſt in longitudine & latitudine.

Longitudo maxima eſt ducentorum milliarium Hiſpanicorum, & amplius, incluſâ Portugallia; principium à ſacro promontorio, vulgò Cabo de S. Vincente, & finem ad fontem uſque Salſulæ ſive Salſas in finibus Galliæ ad mare Gallicum habens.

Latitudo milliarium eſt centum quinquaginta, à Nerio promontorio ſive Cabo finus terræ, ad promontorium Cabo de Palos.

Sic de quantitate: qualitas ejus ſita eſt in commodis, & in incommodis.

Incommoda ſunt, quod quâ Arcton ſpectat, frigidior eſt & aſperior: nam ibi Oceano ſemper eſt obnoxia interiorum aquarum indiga & malignæ ibi habitationes, cum etiam undique ſint rupes, ſaltus & inculta loca. Venti nocturni admodum ſunt inſalubres, unde multis in provinciis, in Luſitania præſertim habitationes deſtituuntur feneſtris, lumen per ædium portas ſolum excipientes. Hiſpania, *verba Barclaji ſunt* antiqua ubertate inſignis, hodie per vaſtas ſolitudines, fidem tot hiſtoriarum corrumpens. Nudum in pluribus locis ſolum & ſterilibus arenis incultum, egens aquæ, non herbarum, non meſſium decore ſpectabile. Idque fit inhabitatorum ſocordiâ; deeſt induſtria, inquit alius, nam cum natura ſua in arma

arma magis, quàm in aratra propenſi ſint Hiſpani, per longinquas in utramque Indiam expeditiones & continuata bella exhauritur juventus, hinc agricolarum infrequentia, hinc agri neglecti potius, quam ſteriles cernuntur. Rex ipſe jubet ſuos coli agros, qui pluviâ deſtituti, aquâ inſpergun-tur fluviatili, ut aulæ, ubi annonæ caritas, ſubveniatur. Mendicus oſtiatim victum quærens, citius vino quàm pane donatur. Talis eſt nobis viſa Hiſpania; omnes plerunque Hiſpani nobilitatem affectantes, reſpuunt agri labores; imò domi ſe oſtendunt adeò delicatos, ut panem nonniſi candidum & hodiè non heri coctum ſibi apponi velint, id quod de eo reliquum in mappis relictum ſuſque deque habent, vel in terram vel extra feneſtram abjiciatur. Æſtus inſuper & pauca pluvia maturitatem frugum impedit; accedunt cicadarum milliones frumenta depaſcentes, quibus cremandis ad oppidum Bajadoz, Rex aliquando trecentos emiſit ruſticos, &c.

Commoda ſunt à cœli temperie, & ſoli fertilitate.

Cœli temperies bona, quod ſita ſub medio quarti, quinti & ſexti climatis.

Hinc optima omnibus rebus temperies, nam & hyeme & æſtate temperato Sole perfruitur, & per æquales ſpiritus nullâ paludum gravi nebulâ inficitur, imò auræ marinæ omnes terreſtres ſpiritus diſpeſcunt, unde optima ſanitas accerſitur. Vide *Ioan. de Laet in cap. 2. de Hiſpan.*

Soli fertilitas eſt præcipuè in animantibus, in ſolo ipſo, & in iis, quæ in viſcerib terræ generantur.

Verſus Auſtrum Hiſpania maximè eſt fertilis, à fluviorum & tempeſtivarum pluviarum irrigatione; *Cluver. dicit.* Hiſpania eſt omni materia affluens, quæcunque aut pretio ambitioſa, aut uſu neceſſaria eſt. Equos præcellentes formâ, & vivacitate producit Andaluzia prope Cordubam. quos incolæ *Ginettes* vocant. Fortioribus abundat Aſturia, unde Aſturcones dicti, qui tamen minus apti ad bellum: nam iis non vulgaris in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Luſitania tantæ velocitatis agilitatisque alit equos, ut vento conceptos crediderint veteres. Vide *Varron. lib. 2. de Re R. c. 1.* Mulos optimos Caſtilia dat; Verveces, (illis Carneros) Madrittum vendit pingues, faciléque ſtomachum exſaturantes. Carnes bubulæ vitulinæque raræ ſunt, pleræque venum importantur in ædes Legatorum. Galli, capi & volatilia magno numero, ſed & magno pretio veneunt. Frumentum maximam partem aliunde invehitur è Gallia, ex urbibus Hanſeaticis; avenæ & fœni loco hordeum (illis Cevada) & ſtramen conciſum equi & mulæ manducant. Vino abundat Hiſpania, ſed ſapore aſpero, odoreque ingrato, pretioque caro: non doliis aſſervantur vina, ſed utribus ſuillis immittuntur, ſordidè ſatis: nam pili intus pice ſunt indurati, quibus vinum ſuperinfunditur, hinc à pelle & pice fœtidus odor progreditur: Reliqua

vina

vina ad mare mediterraneum creſcentia doliis includuntur, quæ mari vecta ad Septentrionales plagas dulceſcunt. Vinum, Petri Simonis cui nomen, plantatum eſt per Imperatorem Carolum V. qui vites ex agro Rhenano tranſſumtas In Caſtiliam invexit, ibique operâ iſtius Petri Simonis implantavit. Frugum ubique fœcundus proventus; mala aurea, punica, citria, ficus, cappares, aſparagi, ſunt ex abundanti: ſuppeditat inſuper gallam, cujus tum ad atramentum conficiendum, tum ad denſanda hircorum caprarumque coria, quæ vulgò corduana dicunt, magnus eſt uſus. Olei affluens copia: Herbæ, radices, lactucæ, raphanus, opipara nobiliorum ſunt opſonia, undè diverbium natum: *Vnas Azeytunas, una ſalada, y ravanillos.*
Son comida de cavalleros.

Nobiles verò hi jubentur abſtinere cæpis & porro, ex lege Alphonſina an. 1312. Equitibus della banda, vel faſciæ rubræ data, ſub pœna ut vitent aulam octo dies, nec victum cum equite habeant.

Salinæ multæ hinc inde ſunt, & coquitur & effoditur Sal: alibi ſunt putei, unde fit ſal, & Regi magnum accreſcit vectigal. Metallis auri, argenti, æris, ferri, ſtanni, plumbi tota ſcatet; auri & argenti effoſſio lege prohibita eſt, quia Indiæ ſuppeditant; aliorum metallorum ferri præſertim & cupri magnus uſus; unde laminæ & arma Hiſpanica tanto in æſtimio. Ex cupro monetæ fiunt (*quartos, ochavos, maravedis*) ex his

ultimis omnes etiam grandiſſimæ ſummæ computantur. Videantur de his ſingulis Scriptores rerum Hiſpanic. Mihi mens eſt, heic extra limites me non dare, qui ſingulorum non potuerim adeò curioſus eſſe obſervator, excluſus tempore, ſeriiſque magis admotus ibi negotiis. Pro fine tamen adjiciam elogium Hiſpaniæ, quod eſt apud *Rodericum Archiep. Toletan. lib. 3. rerum Hiſp.* qui patriæ ſuæ fuſus largusque præco ſcribit: Hiſpania quaſi paradiſus domini, verè principalibus fluminibus navigatur Ibero, Doria, Tago, Ana & Bæti, montanis inter quælibet interjectis: mediæque valles ſua latitudine deſerviunt ubertati, & humore fluminum fæcundantur, & pro magna parte rivis & fontibus irrigantur. Sed & puteorum ſuffragia rarò deſunt. Fœcunda frugibus, amœna fructibus, delicioſa piſcibus, ſapida lacticiniis, clamoſa venationibus, guloſa armentis & gregibus, ſuperba equis, commoda mulis, privilegiata caſtris, curioſa vino, deſes pane, dives metallis, glorioſa ſericis, dulcis melle, copioſa oleo, læta croco, præcellens ingenio, audax in prœlio, agilis exercitio, fidelis Domino, facilis ſtudio, pollens eloquio, fertilis in omnibus, frequens habitatoribus: *ita Boterus.*

Sequitur diviſio Hiſpaniæ, quam faciemus in ſua Regna, quæ ſunt tria, PORTUGALLIAE, CASTILIAE, & ARRAGONIAE, *quibus adjiciemus regnum Navarræum.*

Romanorum tempore Hiſpania per fluvium Iberum diſcriminata fuit in citerio-

rem

rem & ulteriorem ; poſtea in Tarraconenſem , Bæticam & Luſitaniam. Tandem in XII. regna , quæ ſunt, Gallæcia, Legio, Arragonia, Navarra, Toledo, Caſtilia vetus & nova, Portugallia, Algarbia, Granada, Corduba Valencia, & Murcia: hæc contracta in tria coivere, quæ nos videbimus.

Quodlibet regnum habet ſuas provincias & inſulas.

Regnum Portugalliæ duabus provinciis hodie includitur, PORTUGALLIA *&* ALGARBIA.

Olim dicta fuit Luſitania à Luſo Rege: Portugallia verò quaſi Galæciæ portus , ab opido Porto, quod ad fluvium Durium clarum habet portum. Limites hujus regni ſunt à Septemtrione Gallicia,& fluvius Minius; ab Occidente & Meridie Oceanus Occidentalis;ab Oriente Caſtilia, Andaluſia & Eſtrema Dura. Circuitus 879. milliarium eſt ; longitudo 320. latitudo 60. ad computationem *Boteri. part.* 1. *delle relat. univerſ. lib.* 1. *c.* 28. Portus tres habet famoſos, Olyſipponenſem ad Tagum ; Porto ad Durium, Setubal ad mare Occidentale.

PORTUGALLIAE *urbes primariæ ſunt*,

I. Lisbona , *veteribus Olyſippo ad Tagum fluvium, urbs populoſa, magna,negotiationibus clara & quinque caſtellis munita , Belem, S. Iuliani, Cabeca Secca, S. Antonii, & Caſcaiis.* (Vide deſcriptionem hujus urbis apud *Nicol. de Oliveira, anno* 1620 *typis* vulgatam.)

II. *Bracara*, hodiè *Braga.* Inter Minium & Durium fluvios ſita in ea parte quæ hodiè Interamnis dicitur , ubi ſedes Archie-

piſcopalis; de primatu Hiſpaniæ cum Toletana diſputans, neque lis uſque adhuc deciſa eſt. Archiepiſcopus Eccleſiaſticus & Secularis eſt. Vide Merulam, & Nonium. III. *Ebora.* Romanorum tempore Liberalitas Julia vocata eſt, antiquitate claret, Archiepiſcopali ſede & Academiâ. Situm ejus in planitie, montibus circumdatum & reliqua apud *Iacob. Menœtium*, *Andr. Reſendum & Nonium* vide. IV. *Conimbria*, ſive *Coimbra*, ad fluvium Mondego, ſive Mundam ſita, qui duas urbis partes pulchri operis ponte jungit; Clara hic Academia, unde Collegium Conimbricenſe hodiè habemus: Hîc Aquæductus Sebaſtiani Regis an. 1572. impenſis finitus, aquam limpidiſſimam infert. V. *Santarenum*, olim Scalabis, ad Tagi ripam. Ager olei, vini, & tritici ferax, 50 ab Olyſippone lapide diſtans. *vide Nonium cap.* 36. VI. *S. Iago de Cazem*, VII. Sinis oppidum maritimum. VIII. *Braganza*, cujus opulentiſſimus Dux Juan anno nupero 1640, tertio Decembr. Gregor. die, titulum Portugalliæ Regis & coronam, inſcio Philippo IV Hiſp. Rege, uſurpare cepit. IX. *Tomar*, olim Neobantia dicta. *vide Viperanum de obtenta Portugallia à Rege Philippo*. X. *Beja*, olim Pax Julia, ubi ſalubres thermæ. *Nonius*. XI. *Setubal*, Belgis *S. Yves*.

Urbs portu gaudet commodo, piſciumque piſcatura; accedit candidiſſimi ſalis inexhauſta copia, ob inſignem toto illo ſinu ſalinarum frequentiam; ager eſt tritici viniquè feraciſſimus, inquit *Nonius cap.* 34.

XII.

XII. *Almada*, XIII. *Viſeo*, XIV. *Porto*, XV. *Lamego*, XVI. *Portalegre*, XVII. *Leira*, XVIII. *Elvas*, ubi aquæ ductus magnitudine operis ſuperat Segovienſem: ante opidum ejus longitudo eſt unius milliaris. *vide Andr. Reſendium in Luſitania.*

Regnum ſive provincia ALGARBIAE 4 *habet civitates ſub uno Epiſcopo*, Tavilam, Lagos, Sylves, & Faro, *quibus accedit portus* Villa nova.

Algarbiæ longitudo eſt 27 leucarum; longitudo tantum VIII; omnium Hiſpaniæ provinciarum anguſtiſſima & tenuiſſima.

Inſulæ quæ ad Portugalliam referuntur, dicuntur Azores; *item Inſulæ falconum, ab accipitrum copia*; *item* Flandricæ, *quod à Belgis inventæ & inhabitatæ ſint. Straboni* Caſſiterides.

Earum numerantur IX: primæ tres à divis nomen habent, uti S. Michaëlis, S. Mariæ & S. Georgii IV. Tercera, in qua urbs Angra. V. Pico, à monte qui globos ignitos interdum evomit. VI. Fayal à fagis. VII. Las flores, à florum copia. VIII. Del cuervo, à corvorum multitudine. IX. Gratioſa, ab amœnitate. *vide Ioh. de Laet in cap. 8, 9, & 10*, ubi fusè tractat de locis & Inſulis, quas Rex Portugalliæ in Africa, Aſia, India & Braſilia, quâ Rex Portugalliæ, non Caſtellæ, poſſidet.

Tantum de Portugallia: ſequitur CASTILIA, *cujus videbimus provincias & Inſulas.*

Provinciæ ſunt Andaluzia, Eſtremadura, Granata, Murcia, Caſtilia nova, & Caſtilia

vetus, Gallæcia, Aſturia, Legio, Biſcaja, Guipuſcoa, *cum* provincia Alava.

ANDALUZIA *continet diſtrictum Hiſpalenſem, cujus metropolis* Hiſpalis, *hodiè* Sevilla.

Andaluſia, quaſi Vandalen huys/ aliqui à Vandalia; alii à Vandalicia derivant, quod Vandali à Gothis ejecti huc confugerunt, antequam in Africam transjicerent. Videatur *Roder. Sanctius par.* I. *Hiſpan. cap.* 7. *Nebriſſenſ. in Decad. prolegomenis. Vaſæus in Chronico Hiſpan. cap.* 8. Limites habet ab Oriente Granatam, à Septemtrione Caſtiliam novam, ab Occaſu fluvium Guadiana, à Meridie mare Ibericum & fretum Herculeum. Terra frumenti, vini, olei, & omnis generis frugum feraciſſima eſt, unde dicitur granarium, cella & equile Hiſpaniæ. *Vide Nonium & Merulam.* Hiſpalis ad Bætim ſive Guadalquivir fluvium ſita, emporium dives, Academiâ & Mercaturâ florens; huc occiduæ Indiæ theſauri inferuntur, hinc Regi quotannis ſeſquimillionem aureorum vectigalium ergò pendit. Hiſpanis de Sevilla eſt proverbium, Cui Deus favet, ei dat domum Hiſpali. Item, quando alicui benè volunt, dicunt; faxit Deus, ut Hiſpali victum & amictum habeas Item: *quien no ha viſto Sevilla, no ha viſto maravilla.*

Suburbium habet Trianam, in qua Inquiſitio. Vide *Marianam lib.* 13. *c.* 7. *& theatrum urbium Georgii Braun.*

II. *Conduba* ad Bætim ſita, quaſi *Cor Bætis.* Urbs admodum ampla, ſed minus populoſa,

loſa, patria Lucani, Senecæ, Avicennæ & aliorum, heîc equile regium, ducentis & pluribus equis educandis ſufficiens: heîc primùm inventa fuit ars præparandi corii optimi, des Corduaniſchen leders. Eccleſia cathedralis la Meſquita, Maurorum opus inter præcipuas Europæ ſtructuras numeratur, ei 24 portæ & 365 columnæ è nigro marmore ſunt. *Vide Boter.*

III. *Iaen* oppidum vino, oleo, tritico, ferinâ carne & fructibus abundans, ſita ſub collibus, gaudens amœnis fontibus.

IV. *Baeza*, olim *Vatie*, in qua Joannes Avila collegium fundavit, quod poſtea Academiæ Baezanæ titulum obtinuit.

V. *Ecya* ad fluvium Xenil in valle ſita, ponte & lanificio inſignis. *vide delic. apodem. Caſp. Ens.*

VI. *Lebrixa*, olim *Nebriſſa* opidum cum vetuſta arce, patria Ant. Æliani qui res geſtas Ferdinandi Catholici ſcripſit.

VII. *Oſſuna*, aquis deſtituitur, oleæ ferax, Academiam habet, à comite Vrenna fundatam. Videatur *Alfonſus Matamorus de literatis in Hiſp. viris. in præfat.*

VIII. *Xeres de la frontera.* ager hic vineis, avisque lætiſſimus, olea ſegeteque abundans, generoſiſſima vina ferens. *Nonius ait*, non longè hinc Rodericum, ultimum Gothorum Regem à Mauris cæſum, tranſlato imperio ad Saracenos.

IX. *Niebla*, antiquum opidum, parens Duci de Medina Sidonia.

X. *El puerto de S. Maria*, ad Guadalete fluvium,

vium, hinc magna candidi ſalis copia ad alia Europæ regna evehitur.

XI. *S. Lucas de Barrameda.* Ad æſtuarium maris, quod Bœtis hic intrat, clavis eſt Sevillæ, nam hoc portu expugnato omnis navigatio eo impeditur: nobilis alioquin à navium ſtatione paret Duci de Medina Sidonia.

XII. *Medina Sidonia*, antiquitatem oſtendit arx in colle ſita, paret idem Duci.

XIII. *Arcos*, in ſumma rupe. XIV. *Carmona*, in monte ſita, unde aquæ ductus VI. milliar. in urbem Hiſpalin. *vide Marianam* & *Merulam.*

XV. *Vaena*, montoſa ſubjecta eſt Duci de Seſſi.

XVI. *Alcalà real*, in colle optimi vini abundante ſita.

XVII. *Gibraltar* ad radices montis Calpe.

XVIII. *Cadiz* hodie *Calis Malis*, cum ſinu Gaditano; videatur apud *Nonium* & *Boterum.* Opportuna navium ſtatio eſt, 700 pedum intervallo à continenti disjuncta. Imperator Carolus V. filio ſuo Philippo II. tres Hiſpaniæ claves, ut bene cuſtodiret, juſſit, Gulettam in Africa, Vliſſingam in Zelandia, & hoc Cadiz in Hiſpania, verum omnes tres fere amiſſæ ſunt, Gulettam Turca, Vliſſingam Belgæ uniti eripuere, Angli Cadiz expugnarunt, quam tamen Rex Hiſpaniæ poſtea recuperavit. *Cambden. par.* 4. *Annal. Angl.* Cæterum, municipia cætera Andaluziæ numerare & explicare longum eſſet, levi labore ex authoribus & chartis heîc adjici poſſunt.

ESTRE-

Estrema Dura *pars Bœtica eſt, Nonio Bœturia dicta*, provincia extremæ ſiccitatis in æſtate; hyeme vero inhabitata ab incolis, læta paſcuis & frugibus: confines habet ab occaſu Luſitaniam, ab Occidente Caſtiliam novam, ab Oriente Granatam, à Meridie Oceanum.

Metropolis ejus eſt Badajoz, *olim Pax Auguſta.*

Ab hac voce, Pax Auguſta, locum Mauri primitùs nominarunt Baxaugos, poſtea Badaxos; ſita eſt ad Anam fluvium, dives ficubus, malis aureis, oleis aliiſque fructibus, ſuperba eminenti caſtello: Cum finitima ſit Luſitaniæ regno, Philippus II ſubjugaturus illud hic caſtra ſua locavit.

Secunda eſt Ilerida, *olim Emerita Auguſta.*

Auguſtus Cæſar dicitur eam condidiſſe, & emeritos milites eo dimiſiſſe: Meminit ejus *Paulus ICtus in l. ult. ff. de Cenſibus.* Sita eſt ad fluvium Guadianam: opulenta antiquitatibus & aquæductibus, uti ex *Merula, Nonio* & *Barrerio* conſtat.

Reliqua municipia ſunt *Medellinum*, ubi Anas ſe abſcondit, *Villarta, Trugillo, Caçares, Guadalupe, &c.*

Granata *tertia Caſtiliæ provincia, nomen habet à Granata metropoli.*

Granata confines habet ab Oriente Murciam, à Septentrione Caſtiliam N. ab Occidente Andaluziam, à Meridie mare Ibericum. Ejus longitudo LX, latitudo XXV, ambitus CCXXX leucarum eſſe dicitur. Nomen Granatæ

natæ eſt quaſi Garnatæ: linguâ namque Punicâ Gar ſignificat antrum, & Natæ nymphæ nomen eſt, quæ ibi colebatur, quaſi antrum Nymphæ Natæ. Alii à cocco, cujus ibi ubertas; Hiſpani Granam vocant: Alii à mali punici ſimilitudine derivant, hoc enim ut granoſum & acinis ſeu granis refertum, ſic urbs Granata (cujus inſignia ſunt malum Punicum) denſiſſimas domos habet, & dehiſcentis granati quaſi ſimilitudinem. *Vide Braun in theat. urb. Marin. Sicul. & Vaſæum in Chron. Hiſp. tom. 1. cap. 20.*

Granata omnium Hiſpaniæ urbium maxima (*Nonius*) multis collibus diſtincta, quos amnis Darrus per mediam vallem fluens interſecat in IV regiones ſeparatas dividitur, 1. Retinet nomen Granatæ, ubi maximum templum. 2. Alhambra dicitur, in qua vetus regium palatium, & novum à Caſtilianis Regibus exſtructum. 3. Alveſim eſt, in qua ædium frequentia & ſerici textrina. 4. Antiquerula cæteris ſplendore habitationum non cedens. In hac urbe præter Academiam notabis ſupremum dicaſterium ſive parlamentum regium. Æſtate hæc urbs reliquis palmam aufert propter ſalubrem aërem & fontes, qui decem CIↃ ibi numerantur. vide præter Nonium, Marinum, Merulam, Boterum, & alios.

Malaga armamentarium totius Hiſpaniæ, & contra Africam propugnaculum.

Nonius videatur. Huc ſtatis temporibus undique mercatores confluunt, ut ſapidiſſimos & paſſos autumnales fructus avehant;

vina

vina generoſiſſima & olei copiam profert. Habet duo caſtella ſibi invicem imminentia ſuperius Giblalfarro, inferius Alcavazza appellatur, ab uno ad alterum tranſitus eſt inter duos muros.

Veleſium Malagæ, Velez Malaga. 5 milliaribus Malaga diſtans, ubi omnium fructuum ubertas, heic habebis uvas paſſas de Lexia, & paſſas de Sol.

Alhama. Undique immenſis præcipitiis & aſperrimis rupibus munita, beata tamen agro lætiſſimo, & fontibus ſalubribus, thermisque eo magnis impenſis exſtructis.

Ronda ſive *Arunda.* Sita in monte, cincta flumine, ad quod deſcenſu fit itio 400 gradibus, è rupe opera Maurorum exciſis.

Zahara, rupi incumbens, ad quam unicus & difficilis aditus.

Almeria in fertili ſolo, ſalubribus aquis, fructibus oleoque abundanti ſita.

Hunc locum cum Chriſtiani Mauris eriperent, vas illud è ſmaragdo quod Genuenſes habent, inde aſportatum eſt. *Vide Roder. Ximenium lib.* 7. *rer. Hiſp. cap.* 11. *Ioh. Marian. lib.* 10. *cap.* 18. *&* *L. Non. cap.* 13.

Antiquera. Caſtellum habet Alcaſalia dictum, edito loco ſitum, in quo portæ ferreæ, & armamentarium Maurorum, duabus inde milliaribus abeſt fons ſalubris, fuente de Antiquera. *Vide Non. & Merulam.*

Cartama. Opidum & Caſtellum 2 milliar. Malagâ diſtans, ubi ficuum, amygdalorum

magus

magnus proventus, & ad Boreales incolas exportatus, præterea hic herba Hiſpanis Summagre, Italis Sumacho, Belgis Somack vel Smak dicta creſcit, cujus folia nigricandis coriis & capillis canis conveniunt. *Nonius cap.* 25.

Guadix novem leucis Granatâ abeſt, aſperrimis montibus circumdata, frumento, fructibus & vino dives, non verò olea neque malis aurantiis ob frigiditatem aëris.

Baſa in valle ſita Epiſcopo Gaudicenſi ſubeſt.

Almuguccar & *Salubregna*, Sunt duo munitiſſima caſtella ad oram maris intra Malagam & Almeriam ſita; in uno erat theſauris regis Maurer, in altero filii & fratres regii aſſervabantur. Sunt præterea plura adhuc opida, ut; Munda, Conil, Settenil, Loxa, Marbella, Baca: de quibus Auctores videantur.

Sequitur MURCIA *provincia, nomen habens à civitate Murcia, quæ hortus Hiſpaniæ dicitur.*

Limites hujus regni ſunt ab Occidente Granata, a Septentrione Caſtilia nova, à Meridie & Ortu mare mediterraneum, ad ſinum Virgitanum & promontorium Cabo de Palos.

Murcia metropolis regni ad fluvium Seguram. Sita in planitie amœniſſima, malis citreis, oleis, oryza, & moris veſtita, è bombycibus & ſerico hic magnus proventus. Hic eſt ſepulchrum Alphonſi Regis Caſtellani, Aſtronomi celeberrimi, qui tabulas Alphon-

phonſinas ſcripſit. Vide *Ambroſ. Salazar in ſua Almonada generali.*

Cartagena.

Ab Aſdrubale Carthaginenſium Duce condita, quaſi nova Carthago, tempore ſecundi belli Punici; optimus Hiſpaniæ ad mare internum portus, tutam 200 triremium præſtans ſtationem; magna ibi ſcombrorum (maquereaux, Makrell) piſcatio, qui vicinæ inſulæ Scombrariæ nomen dederunt. Philippus II. Hiſpan. Rex eam contra incurſus Piratarum munivit. vide *Stunicæ itinerar. & Annal. Hiſp. Ambroſ. Moralis c. 19.*

Almacarron. Caſtellum eſt VI leucis à Cartagena, ubi aluminis uber proventus, ad Ducem Eſcalonæ & Marchionem Velæ redundans.

Lorca in ſummitate ſita ad fluvium Gaudalantinum.

Reliqua hujus regni municipia ſunt, Guardamar, Portilla, Vera, olim Virgi, unde ſinus Virgitanus, & Muſſacra.

Tranſeamus ad CASTILIAM NOVAM & VETEREM, ſive CASTELLAM NOVAM & VETEREM. Utraque à ſe invicem ſeparatur altiſſimis montibus, qui à finibus Regni Navarræ in univerſam Hiſpaniam ad mare uſque mediterraneum prodeunt: tranſitus verò ex una in aliam per altiſſima montium juga datur, Guadaramæ opidum eſt mediæ diei itinere Madritto abſitum, ubi ſat difficilis eſt via pedeſtris. Caſtilia nova confinem habet Caſtiliam veterem à Septentrione; à reliquis plagis Portugalliam.

Eſtre-

Eſtremaduram, Andaluziam, Granadam & Valenciam. Salubritate cœli & ſoli bonitate anteponitur Caſtiliæ veteri, ob aſperius verò in alia regna regimen invidiam non levem ſibi conciliat.

CASTILIAE NOVAE *metropolis eſt* Toletum.

In umbilico Hiſpaniæ, loco aſpero & clivoſo ſita, quam Tagus fluvius majori parte cingit, reliquum quod muris & 150 turribus munitum eſt. Heîc Alphonſus Arragoniæ Rex tabulas ſuas Aſtronomicas confecit. Heic Academia antiqua, & florens. Tria verò præcipuè notes in hac urbe; 1. Templum cathedrale, quod reliquas ſacras Hiſpaniæ ædes longè ſuperat, ſedes eſt Archiepiſcopi, qui & primas Hiſpanię & magnus regni Cancellarius eſt, & referente Appiano, trecentorum CIƆ Ducatorum fructu annuo gaudet. In hoc templo ſacellum, quod habet monumenta Archiepiſcoporum, inter quæ Alberti Auſtriaci tale eſt. *Belgarum rebellium, Gallorum hoſtium profligatori*. 2. Eſt aquæductus, nobile, *Ianelli Turiani Cremonenſis* opus, qui hydranchicâ machinâ, magna verſatili rotâ aquas ex Tago, ingenti impetu per tubos ductiles in editiſſimam urbis partem pertraxit, unde in multos rivulos inſigni civium commodo diſtribuuntur. 3. Eſt palatium Regium, à Carolo V cœptum, ſed nondum abſolutum. Laminæ Toletanæ reliquis palmam auferunt, ſi pręſertim à fabris *Sebaſtiano Hernand & Sagun facta fuerint.*

Madritum (olim *Mantua Carpetanorum*) ſitum

ſitum in clivo ad Septemtrionem, cujus radices alluit amnis Xarama, ſaxeo ponte pervius. Aër hic maximè ſalubris, cujus gratiâ & clementiâ Carolus V. Imp quartanâ diu ante conflictatus, morbum moleſtiſſimum brevi fugavit. *Vide Nonium in Hiſp.* Circumjacens territorium abundat Silicibus, unde Mennæ poëtæ dicitur igne cinctum. Heic hodiè eſt Regum domicilium; anno 1617 in tres habitationes diviſum. Armamentarium item, & equile regium. Heic Academia Jeſuitis conceſſa & annuo proventu x mille ducatorum, à Rege Philippo IV donata. Heîc locus iſte ſpatioſus, *el retiro*, ubi exercitia equeſtria, & venationes taurorum exhibentur: Opus eſt Comitis d'Olivares, &c. Quinque hinc leucis diſtat *Eſcuriale*, Sancti Laurentii monaſterium, admirandi operis egregia & verè regia moles, in quam Philippus II, ducenties centena millia coronatorum, ſive viginti milliones auri inſumſiſſe ajunt. *Vide Boterum.* l'on dit avoir couſté plus de vingt millions d'or. *Pierre Matth. dans la vie d'Henry* IV. Vide *Nonium cap.*71. *Merul.par.*2. *Coſm.l.*2.*c.*20. *Marian. lib* 3. *c.* 10 *de reg. inſtit.*

Madrito duabus leucis abeſt delicioſus Regis hortus *Pardo*, quem vide apud *Zeiler. in itin. Hiſp.*

Alcala de Henares, olim Complutum.

Ab amne Henares, urbis muros lambente: Heic Franciſcus Ximenius, Academiæ Complutenſis pater, amplius XL milliarium ducatorum in Bibliorum Complutenſium editionem erogavit. *Venza,*

Cuenza, aſperà inter duo flumina & mon tes. (*Vide Nonium, & delicias apodemicas. Caſp Ens.*)

Guadalajara. In colle ad ripam fluminis Henares, ubi Dux Infantado habet palatium & armamentarium.

Civitas regalis, Ciudad real, in planitie depreſſa, vini ferax, ſed inſalubrium aquarum.

Alcantara, ad Tagi ripas ponte ſuperbit, cujus longitudo 670 pedum, latitudo 18, altitudo 200. aquatenus eſt, qui totus ſex concamerati operis pilis ſubnititur, opus ut docent inſcriptiones, eſt Trajani Imperatoris; *Vide Merulam & Nonium.*

Medina cœli, olim civitas, nunc caput Ducatus audit.

Aranjuez, locus amœniſſimus recreationi regiæ deſtinatus, à Tago & Xarama fluviis irrigatur, heic delicioſi horti & fontes. Vide *Zeiler. in itiner. Hiſp.*

Præter hæc ſunt alia opida, veluti *Ciſuentes Hipes, Ocanna, Talavera, de la Regna, Puente del Arzo biſpo, Tembleque, Conſuegra, Alcaſſar, Rueda, Albacete, Cinciglia, Villar, Clemente, Vigliana, Almagrum* (ab acidis fontibus) *Hita*, urbs Infantadi Ducis. *Caſlona* item, & *Lebazuza* vide *Merulam, & Nonium.*

Sequitur CASTILIA VETUS, cujus limites à Septentrione Aſturia & Biſcaja, ab Occidentale Luſitania, à Meridie Caſtilia nova, ab Oriente Aragonia & Navarra. *Merula par. 2. Coſm. lib. 2. c. 19.*

Metropolis eſt *Burgos* (ſita ad rapidum, ſed

ſed minùs navigabilem fluvium Relanzon, cui duo pontes incumbunt. Heic Caſtellum magis à natura quàm arte, excelſiori loco munitum: palatium Com. Stabuli; templum cathedrale artificioſiſſimi operis. *Boter. d'elle relationi univerſali.* Abundat divitibus monaſteriis, Franciſci de Paula extra muros, Carmelitarum diſcalceatorum, & aliis. *Zeiler. in itin. Hiſp.*

Valdoledum, ſive *Valladolid.*

Regia pulcherrimaque Hiſpaniæ urbs ad fluvium Piſurgam, à Regibus propter hortorum, fontiumque amœnitatem, rerumque omnium copiam lubenter inhabitata; clara alioquin ab Academia, à Principum palatiis, ab ampliſſimo rerum venalium foro, cujus ambitus eſt 700 paſſuum. *Zeiler. dicto loco.*

Salamanca ſive *Salamantica* adjacet fluvio Tormis, qui ſe cum Duero poſtea miſcet: Academia florentiſſima hic, ab Alphonſo VIII, Rege Caſtiliæ fundata, & 30 millia ducatorum annuâ penſione nobilitata. *Anton. Poſſevin. in libell. de cenſura ingeniorum. Marian. de reb. Hiſp. Melchior de la Cerda in apparatu Latini ſermonis.*

Siguenza, ſive *Seguntia.*

In clivo ſita, cujus pedem fluvius Henares alluit, muris & arce vallata, Academiam fovet.

Segovia. Satis munita, lanificio & panno clara. Tria hic notes: 1. palatium regium, *el palatio*, digniſſimum viſu. 2. fabrica monetæ in valle ima, molis aquaticis exercetur, in

qua triginta millia ducatorum argent. uno die non cudi, imprimi poſſunt. *Rodrigo Mendez Silva in Catalogo Reg. de Hiſpan.* Opus inventum OEniponte & huc cum ſuis magiſtris traductum.*vide Nonium* 3.Aquæductus mirandi operis, habens 177 fornices,dicitur pons, cui aqua ſuperfluit, cum alioqui ſub pontibus fluere ſoleat. Laborioſa aliàs dicitur Segovia: nam nemo conſpicitur mendicus, niſi qui per ætatem aut morbum ad opus eſt inidoneus. *Merula p.* 2. *l.* 2. *c.* 19.

Oſma. ad fluvium Durium, paucis ædibus licet conſtans, non tamen Academiâ deſtituta eſt.

Lerma ad fluvium Arlanza editiori loco ſita, vino & frumento fœcunda, hodie Ducatus audit caput.

Molina, 800 caſarum receptaculum.

Numantia. Ad Durium flumen, olim fortium militum genitrix,quæ 4.millibus Celtiberorum, Romanum XL. millium exercitum per annos 14 ſola ſuſtinuit, tandem à Scipione Jun. Africano expugnata, cum omnia, quæ famem trahere poterant, conſumſiſſet ad ultimum humanorum corporum dapibus uſa, &c. *Vide Flor. lib.* 2. *cap.* 18. *Valer. Max. lib.* 7. *cap.* 6.

Avila. In planitie ſita,montibus vini feracibus cincta.

*Alva,*ſive *Alba,*unde Duces Albani ſuum titulum habent.

Cocca. Editiori loco ſita,gentis Alcalæ ſedes, alioquin mala manſio dicitur Principum; nam non longè hinc abeſt arx, in qua Philip-

Philippus Auriacus Mauritii frater Lovanio à Duce Albano abductus, incluſus & detentus fuit.

Logronno. Juliobriga veteribus. olim ad Navarram, hodiè Ibero fluvio ab illa diſcriminata, ad Caſtiliam Veterem pertinet. opidum ſat celebre circuitum habens vino, frugibus & venationibus divitem. Fides incolarum meruit privilegia & immunitates à Carolo V. Imp. donatas. *Vide Salazar.*

Caſtiliæ veteri annumeratur Terra Camporum (terra de campos), in qua *Medina, Aguilar, Carnon* &c. Item municipia, *Frias Birbreſca*, (familiæ de Velaſco parens) uti & *S. Domingo de Silos, Miranda, Soria Almazzan, Barlanga, Aranga, Penna fiel, Roa, Olmedo, Martimugnoz, Arenalo, Sepulveda,* & alia; quæ ſuperſedeo heic enumerare. Ad mare Cantabricum *S. Andero* & *Laredum* opida à portu & piſcatura opulenta huc referuntur.

Gallacia excipit Caſtiliam Veterem.

Hæc à Septemtrione & Occaſu habet Oceanum Cantabricum & Occidentalem; à Meridie Luſitaniam, ab Ortu Aſturiam & regnum Legionis. Litus multis ſinubus nobilitatum, opes provinciæ invehit; portus præcipui ſunt, *Corunna & Ferol.* Terra montoſa ſatis & aſpera, paucorumque rivorum; inter amniculos 4 eminent, Sil, Migno, Ulla & Tambra, piſces tam recentes quàm muriâ conditos copiâ evehit: metalli præcipuè ferri & æris uberrima. Quinque illuſtratur opidis, quæ ſequuntur.

I. *Compoſtella*, quaſi compos ſtellæ: ſic e-

nim appellatum fuiſſe Heſperum, regionibus illis ſalubrem *dicit Gerundenſ. lib.* 1. *Hiſp.* ſive *Sanjago*, Veteribus Flavium Brigantium. Reliquiis D. Jacobi, qui tutelaris Hiſpaniæ, Archiepiſcopatu & Academiâ inclaruit. *vide Baronii annales tom. 9. It. bibliothec. Hiſpan. tom.* 1. *c*, 1. *& Turpinũ in vita Caroli M. & Pipini.*

II. *Lugo*, cujus antiquitatem muri, ſalubritatem thermæ & aquæ ebullientes oſtendunt.

III. *Orenſe* ad Minii ripas nobiliſſima vina & fructus producens, aquis calidis & innoxiis clara. Suevi olim hanc terram inhabitantes propter thermas, locum hunc nominarunt Warm ſee/ unde mutatâ dialecto ortum Orenſee. *Nonius cap* 53.

IV. *Tuy* ad fluvium Minium, alias Tyde, & Tude, hinc oriundus Lucas Tudenſis, Epiſcopus & Hiſtoricus.

V. *Mondogneto*, ſive *Mondonnedo.*

Reliqua municipia amant mare aut flumina; ad mare ſita, ſunt Bajona, Vigo, Ponte Vedra, Padron, Muros, Cea, Finis terræ, Mongia, Corunna, Pontdeaume, Ferrol, Sancta Martha, Vivero, Ribadeo: flumina tangunt, Sarria, Betanços, Rivadavia, Monterei, Viana, & reliqua, quæ apud Authores legantur, & huc inferantur.

Hinc in ASTURIAM eamus, regionem aſperam, montibus ſylvisque horridam; Confines habet ab Occaſu Gallæciam, à Meridie Caſtiliam veterem; ab Oriente, Biſcajam; à Septentrione, mare Cantabricum.

Dividitur in *Aſturiam de Oviedo*, ubi opidum

dum *Oviedum*, receptaculum Hiſpanorum, Mauris eorum terram occupantibus. Et *Aſturiam de Santillana*, ubi *Lanes & S. Andero* opida; auro præterea dives, & equis fœcunda provincia.

Regnum LEGIONIS ſequitur, cui à Meridie & Oriente ſunt Caſtiliæ veteris fines, ab Occidente Gallæcia; à Septentrione, Aſturia. Opida ejus ſunt;

Legio Metropolis, à qua regio nomen ſortita.

Hanc Pelagius è Gothorum regio ſanguine ortus, primam Mauris eripuit, & caſtellum ibi ſtruxit adverſus incurſiones hoſtiū: unde ſubditi ipſum primum Comitem Caſtiliæ appellarunt, *Vide Roderic. Toletan. lib. 6. & Roderic. Sanctium par. 1. hiſt. Hiſp. c. 11.*

Templum inſigne ſepulturam habet 37 Regum, & unius Imperatoris.

Zamora, olim *Zentica* ad ripam Durii fluminis, cui pons inſignis ſuperſtratus, ager fertilitate, urbs munitione prævalet.

Aſtorga exiguum ſed munitum opidum, quod amnis Torto interluit, optimas trutas nutriens.

Palencia ad fluvium Carnicon, divite Epiſcopatu & Academiâ celebris.

Ciudad Rodrigo à Ferrando Legionis condita contra incurſiones Luſitanorum ut eſſet munimentum. *Vide Marian. de reb. Hiſp. lib. 11. c. 11.*

Medina del campo, nundinis & mercatura dives, à tributis & vectigalibus immunis. *Marian. lib. 2.*

Medina del rio ſeco, clara mercatu & annonæ vilitate.

His urbibus populoſa ſatis & opulenta vino & frugibus annumerantur municipia, quorum præcipua ſunt *Villa franca* ad fluvium Burviam, ſolo frugifero eminens, *Betanzos* ad fluvium Manden, fructibus abundans, *Cacabelos*, *Ponferrada*, ad fluvium Aviam, (olim Interamnium Flavium) *Vierzi ponte della Reyna*, *Orzanaga*, *Ledeſma*, *Manſilla*. *Villalpando*, *Beneventum*, ubi magnificum comitis Pimentelli palatium, *Saldagna*, *Tordeſillas*, *Toro*, altiori & plano loco caput erigens, vino rubro & fructibus copiosè abundans.

Sequitur CANTABRIA, quæ hodie in BISCAIAM & GUIPUSCOAM dividitur.

Biſcaja confines habet Navarram, Guipuſcoam, mare Cantabricum, & Aſturiam; pars illa, quæ ad Bajonam pertinet, & Regi Galliæ paret, extendit ſeſe uſque ad fluvium Iron; inde altera pars Hiſpano ſubjecta 11 habet milliar. in longitud. & latitud. *Vide Nonium cap.* 44. *de Hiſpan.* Lingua Cantabrica antiqua eſt; & multum aliena ab Hiſpana. *Merula par.* 2. *Coſm. lib.* 3. *c.* 15. Regio montoſa, ait *Nonius*, & aſpera eſt, Hiſpaniæque penè diſſimilis; Bacho prorſus inimica: (hinc vinum, quod bibitur, è vicino regno Navarræ importatur) præter plumbum & magnetem lapidem copioſas ferri venas fundit, quæ hodieque durant. Incolæ Cantabriæ exemti ſunt ab omnibus oneribus datitiis; An. 1632 novum vectigal

gal Sali cum imponeret Rex Hiſp. cives Bilbaici commiſſarios Regios eò miſſos omnes trucidarunt; Rex factum ulturus, Admiralio injunxit armatâ manu incolas puniret, & vectigal juberet; hi ad arma & tumultus coiere, ita ut tria millia militum regiorum perierint, cadaveribus in mare projectis. *Vide continuat. Hiſtor. Chron. Ioh. Philip. Abelini.* Puellæ in his regionibus paſſim incedunt capite nudo & tonſo capillitio; nec virginibus fas eſt antequam nuptæ ſint, aut capillum alere, aut caput peplo velare: peplum verò iſtud, ſive vitta in modum galeæ compoſita ex linteo coloris aurei eſt, quam eum in modum involvunt, ut in fronte, veluti cornu aliquantulum exſtet: ſequior iſta gens alias elegans facie, hilaris geſtibus, affabilis & officioſa erga peregrinos eſt.

Biſcajæ metropolis eſt *Bilbao*, ſive *Bilvao*, quaſi bellum vadum.

Quia commodè ſita eſt & loco plano egregieque portuoſo, duobus à mari milliaribus; Ex hoc opido merces ex Anglia, Gallia, Belgio in reliquam Hiſpaniam importantur: per idem viciſſim exportatur, quidquid iiſdem aliiſque regionibus Hiſpania dat vænum. Ab altera parte ad mare habet opidum Portogallette, à quo rivus quidam, maris ingens brachium, non ſolum in opidum Bilbao uſque, ſed in ipſas etiam domos influit. Hinc indies parvo negotio, facilique pretio varia mercium genera exportari videre eſt. Lanæ hic magnum commercium, nucum caſtanearum, malorum

aureorum copioſus proventus, ita ut 10. maravedis (leviſſima è cupro moneta eſt, ut ſuprà diximus) tot mala aurea emere poſſis, quibus mulus unus vix eſt ferundo.

Municipia præterea habet murata 21. è quibus *Laredo*, *Vermeja* & *Ordugna* eminent.

GUIPUSCOA. Hujus termini ſunt ab Oriente fluvio Vidoſo (aliis dictus Vidorſo, Alduida, Huria, Berivia, ſive Beoyvia) & montes Pyrenæi, à Meridie regnum Navarræ, ab Occidente Biſcaja, à Septemtrione mare Cantabricum. Circuitus ejus eſt 36 milliar. Regio hæc ferri chalybisque feraciſſima; unde Vulcani officinam, Martisque armamentarium, Natura hic videtur exſtruxiſſe. *vide Navagierum, Stephan. Garybajum lib. 15. c. 9. Florianum del campo lib. 1. c. 2.* Optimè huc quadrant *Salazarii* verba in *ſuo inventario:* Todas eſtas provincias de Byzcaja y Guipuzcoa, deſde Fontarabia frontera de Francia, haſta el cabo de finibus terre, y las dos Aſturias, y Galicia, ſon muy montannoſas, y de poco fruto; mas ſon buenas para paſtos de ganados, y tan abundantes de minas de hierro, quæ puede baſtecer à todo el mundo. Fluvius hic eſt chalybs, cujus aqua ferrum optimè temperat, ita ut Hiſpani ſua arma non niſi hac aqua temperata approbent.

Metropolis ejus eſt Toloſa, ad confluentes Araxin & Oriam ſita, quibus bini pontes incumbunt.

Placencia, ubi fabrorum ferrariorum ingens multitudo.

Mon-

Montrico, ſive monte de Trico, à ſcopulo, qui ibi eſt, cognomine.

Fuentarabia exiguum opidum, ſed natura & arte munitiſſimum, cui præſidiarii 10. milites Hiſpani ſunt impoſiti, ad fluxum & refluxum maris ſiccum & navigabilem introitum habens.

Fanum divi Sebaſtiani, hodie *Donaſtien*;

Portu gaudens ampliſſimo, naturâ, non arte facto: Ingreſſus eſt inter duo caſtella, quorum quod ad Orientem, in edito monte exſtructum eſt, quod ad Occidentem in rupe, altero eſt eminentius. Situm opidum ad fluvium Gurumeam ſive Urameam, qui hic in Oceanum ſe exonerat: Incolæ gloriantur de privilegio, quod Rex cum iis negotia præſens tractans, nudo capite loqui teneatur.

Paſſage portum habet anguſtum, ſed profundum, ſcopulis munitum, præſidiisque cuſtoditum.

Reliqua municipia ſunt elegantia, quâ domuum ſtructuram & platearum pavimenta, exigua licet ſint opida, nitida tamen & induſtria incolarum ſuperant grandes illas Hiſpanicæ civitates: non hic fœtor à cloacis mobilibus, ſive potius ollis fictilibus, *Hiſpanis ſervicio*, *ſervidor*, *ò bacin*, quæ habitationes in Hiſpania mirè inficiunt, quidquid diu noctuque excrementorum humanorum excernunt, hoc receptaculo immittitur, poſt per medium aërem è feneſtris in plateas emittitur, ardore Solis in pulveres redigendum, exorto vento, homines ve-

ſtes, caſæque iis fœdantur; at pudet de putore loqui.

Sunt verò : *Segura*, *Villa franca*, *Renteria*, *Denia*, *Eria*, ſive *Oria*, & alia, frumento & fructibus abundantiſſima opida, montibus circumdata, ita ut nec frigore nimio infeſtari, nec calore nimio torreri poſſint.

Supereſt ALAVA, ultima in Caſtilia noſtra provincia. Regio longitudinis eſt 28. leucarum & latitudinis 18, fructibus vinoque abundans.

Vittoria metropolis eſt, nobilibus familiis, mercatoribus & opificiis plena, vino, lana & ferro rem faciens.

Huic adjiciuntur, *Salvaterra*, & *Trevigno*, caput comitatus.

Viſis Caſtiliæ provinciis, ſequuntur *Inſulæ ad Caſtiliam pertinentes in mari Atlantico:*

Eæ ſunt: *Porto Santo*, *Madera*, & *Canariæ* ſeu *Fortunatæ VII*, nimirum *Canaria magna*, *Teneriffa*, *Palma*, *Gomera*, *Elhierro*, *Lanzarotta*, & *Fortaventura.*

PORTO SANTO & MADERA CL. leucis Olyſippone diſtant. Madera vitium maximè ferens, Regi Hiſpaniæ XII mill. vini dolia decimarum nomine ſolvit; Ejus urbes ſunt *Foushal*, & *Machico*. CANARIAE MAGNAE longitudo eſt 12 milliar. & parum latitudo differt. Sic dictæ à canum multitudine, quos ibi, primùm Inſula inventa repererunt; Metropolis eſt Canaria, reliquæ ſunt *Telde*, *Galder* & *Guja*. *Fortunatæ* dictæ ſunt ab affluenti rerum omnium copia, vini præſertim & ſacchari puriſſimi. Autochthones

chthones pauci adhuc ſuperāt, qui ex commerciis & convictu quotidiano & diuturno cum Hiſpanis, mores cum ingenio illorum aſſumſerunt. Teneriffa formæ eſt triangularis, & longitudinis 17 leucarum. Solum eſt colliferum, in cujus medio altiſſimus mons Tereyra, 15 leucarũ; cujus ſummitas, flammas & ſulphur eructans, nec non pumices: frumenta tamen & oryzam vinaq; generoſiſſima, duplicis nominis, Vidonia & Calvoiſie, fert tellus. Urbiũ nomina ſunt *Laguna, Santa-Cruz, Larotava, Rioleio* & *Garachico.*

Palma, orbicularis eſt formæ, ambitu continens 25 leucas, vino & ſaccharo abundans.

Gomera, longitudinem habet VIII leucarum.

Elhierro ſive Ferro, ſex milliar. ambitu habens, aquarum dulcium indiga, ex arbore tamen hominibus & pecori potum ſubminiſtrante aquam habet deſtillantem.

Lanzerotta, cujus longitudo XII leucarum, pauci proventus, & is non niſi ex caprarum carne ſiccata, *tuſſineta*, qui redundat ad Comitem de Fortaventura & Lanzerotta.

Fortaventura longitudinis eſt XV, latitudinis X leucarum, armentis & frugibus fœcunda.

Hactenus de duobus Hiſpaniæ regnis actum; ſequitur tertium, Arragonia: *Cujus videbimus provincias, & Inſulas.*

Provinciæ ejus ſunt, Arragonia, Catalaunia, & Valentia.

Arragonia magna ſui parte ſolum habet

ſiccum & aſperum, multisque in locis nitroſum & aqua deſtitutum, unde fit, ut præſertim verſus Pyrenæos montes integri diei itinere vel nullam domunculam aut habitationem obviam habeas. Termini ejus à Septemtrione & Ortu ſunt Navarra, montes Pyrenæi & Catalonia, à Meridie Valentia, ab Occaſu Caſtilia. De privilegiis & immunitatibus Arragonenſum videatur *Thuanus lib.* 104. Regio nomen trahit à Tarracone civitate, aut à fluvio Arragone, opidum Jacam lambente.

Arragoniæ Metropolis eſt Saragoza, *ſive Saragoſſa, quod nomen corruptè à Cæſar Auguſta procedit.*

Sita ad Iberum loco campeſtri, ait Nonius, & patenti, in qua ſive ſoli ubertatem ſive ſitus amœnitatem, urbis nitorem & ornamenta requiras, nihil in ea deeſſe reperies; ædium ſplendore nulli Hiſpanicarum urbium ſecunda, quæ è laterculo coctili, ut plurimum ſunt; plateas latas & apertas, præſertim la calle ſanta, quæ omni in Hiſpania omnes plateas pulchritudine ſuperat, ac pontem lapideum habet egregii operis, quo Iberus tranſitur. Poteſt hic comparari cum ponte Ratisbonenſi in Germania, nulli carro vel currui hîc patet tranſitus. Inſuper magnificentiam urbis auget Academia, Arx & Curia publica. *vide Zeiler. in itin. Hiſpan.*

Balbaſtro ad amnem Verum, gaudet agro oleo divite: Latinis Barbaſtrum. *Mariana de reb. Hiſp. lib.* 10. *cap.* 2. *&* 7.

Hueſca, olim Oſca, ubi Academia valdè anti-

antiqua, heic Q. Sertorius ſcholam fundavit. vide *Plutarchum*, *Merulam cap.* 14. *Nonium cap.* 83.

Iaca, ſita ad fluvium Arragonem ſub montibus Pyrenæis, vicina Navarræ regno; huic caſtellum v. propugnaculorum Philippus II. Hiſpaniæ Rex junxit contra incolas regni, quibus Caſtiliani maximè infenſi ſunt, adeo ut malitioſum hominem, dicant proverbio quaſi eſſe Arragonenſem.

Venaſca, olim in regno Ripagorziæ (de quo legatur Hieronymus Blancas) contermina Galliæ regno, habet inſigne caſtellum, verùm non adeò munitum pro limitibus defendendis; tormentorum loco muri ſaxa habent, præſidiumque impoſitum 30 militum.

Fraga. Olim Gallica Flavia ad fluvium Cingam: croci magnus hîc proventus in hortis. *vid. Marian. lib.* 13. *de reb. Hiſp.c.* 15.

Calatajud. non procul ab antiqua Bilbili, patriâ Martialis, (*lib.* 1. *Epigram* 62.) in convalle ad Salonem fluvium ſita, qui Cogedum fluvium excipit. Terra dives frumento, frugibus, vino, oleo, & opificibus, Epiſcopo Tarrazonenſi paret.

Tarrazona, vel Turiaſſo, in Caſtellæ & Arragoniæ limitibus ſita non procul à monte Canno, incolis Moncayo, *Nonius. cap.* 76.

Tervel. Epiſcopatu clara, & mercaturâ dives.

Albarazina. Olim Lobetum & Turia dicta, in colle ſita. *Marian. lib.* 10. *c.* 4.

Monſonium. Monçon, ubi procerum Arragoniæ conventus habentur.

Re-

Reliqua municipia ſunt *Gurrea*, vel forum Gallorum, *Agrada, Benavari, Graus*, & alia plura.

CATALAUNIA: Ejus loca præcipua ſunt, Barcelona, Tarragona, Tortoſa, Girona, Lerida, Cardona, Mons Serrate & comitatus Ruſcinonenſis: de ſingulis infrà. Quaſi Gothalania à Gothis & Alanis populis; confines habet Aragoniam, montes Pyrenæos, & mare Mediterraneum. Forma ejus eſt triangularis, à Salſas ad Iberum fluvium ſe extendens, itinere tridui longa & lata. *Hieronymus Paulus* longitudinem aſſerit 170, latitudinem 130 milliarium Italicorum. Numerantur in hac provincia, ſecundùm *Boterum*, unus Ducatus, nimirum Cardonæ, tres Marchionatus, undecim Comitatus, multæ Baroniæ & dominia: nec non 56 civitates & municipia muris cincta; pagorum magnus eſt numerus: inhabitantium verò 600 millia eſſe dicuntur; inter quos ſupra 100 millia Gallorum aut Gallicæ originis ſunt, qui agriculturam, & pecuariam atque artes mechanicas tractant: nam non eſt ulla Hiſpaniæ regio, in qua opificum induſtriâ artes ſolertius & diligentiùs excolantur.

Barcellona metropolis provinciæ, Latinis *Barcino*.

Emporium eſt celebre, licet commodo portu deſtituatur: nam pontem 750 paſſuum habet, in mare ſe extendentem, contra vim ventorum naves in ſtatione quieſcentes infeſtantium, ædificatum. Geminos amnes

habet,

habet, in mare ſe exonerantes, ab Oriente Betullum apud Melam, hodie Beſontem, ab Occaſu Rubricatum ſive Lobrogatum. Jacet in loco campeſtri in agro Laletano, leguminibus & fructibus hortenſibus opulento; non verò frumento vel oleo, quæ vicinia ſuppeditat. *Hieronymus Paulus* in ſuo peculiari libro de hac urbe, ait, ambitum ejus circiter xxv ſtadiorum eſſe, eamque magnitudine non civium frequentia cum Neapoli comparat. Urbs alioquin elegans à latis & apertis plateis, quæ, quod rarum in Hiſpania, cloacarum ſtructurâ & uſu mundæ ſunt: ab ædificiis è vivo ſaxo, cui hortorum amœnitas accedit, conſpicua: ab Academia & mercimoniis clara: Titulo comitatus gaudet, & monetæ jus exercet, cujus inſcriptio; *Barcino Civitas.*

Tarragona, à Cneo & Publio Scipionibus condita aſſeritur. Antiquorum monumentorum repoſitorium eſt, vide *Nonium c. 85.* Oroſii patria; Hiſpania maximam partem ab hac nomen ſortita eſt, commodè ad mare Mediterraneum ſita, agrum frumenti, olei, vinique feracem habet, Archiepiſcopatu & Academiâ anno 1572 à Cardinale Gaſpare Cervantes fundatâ, percelebris eſt, vide *Ludov. Pontium de las grandeſas de Tarragona.*

Tortoſa, Ptolemæo *Dertoſa.*

Ad Iberum ſita, quem pons navalis magno artificio occupat. vide *Marin. Siculum.* Duo caſtella in monte habet è diametro ædificata, & Academiam.

Girona, olim *Gerunda.*

Auſſe-

Auſſetanorum caput fuit, colliculo impoſita, triquetrâ forma, fluminibus Unda, vulgo Ontiar, & Ter alluitur. vide *Marianam lib.* 14. *c.* 9. *&* *Nonium cap.* 89.

Lerida, olim *Ilerda.* Sita in modico colle, qui paulatim in vallem deſinit. Orientale latus Sicore ſive Segro fluvio alluitur, qui paulo inferius Cingæ fluvio confuſus non magno intervallo in Iberum evolvitur. *Mariana lib.* 3. *c.* 18. *Marin. Sicul. l.*10. Suburbano agro Bacchus, Ceres & Pomona mirum in modum favent, nec Pallas fœcundam oleam invidet. Epiſcopali dignitatē & Academia, quæ Anno 1300, tenui reditu & ædificio fundata, claret.

Cardona, Ducatus ejuſdem nominis caput. Tria hic notanda, *mons*, cujus terra ſimilis eſt farinæ; *fons*, cujus latices vini rubri colorem oſtendunt; *Sal* diverſiſſimorum colorum, qui tamen contuſus, niveus comparet.

Monſerrate, *monte ſerrato.* Editiſſima rupes, cujus altitudo duorum milliarium, & circumferentia quatuor eſt, celebris locus à miraculis. vide *loci deſcript. apud Zeiler. in itiner. Hiſpan. Nonium*, & *Bibliothec. Hiſpan.* Hic ſcilicet, Ignatius à Lojola multa prece fletuque DEO ſe Virginique devovit; hic tanquam armis ſpiritualibus, ſacco ſe muniens pernoctavit: hinc ad Societatem Jeſu fundandam prodiit. anno 1522.

Præter hæc ſunt municipia *Vrgel* in Ceretanorum regione ad ima montis Pyrenæi *Vich*, *Salſona*, & alia; de quibus videantur authores.

Sequi-

Sequitur Comitatus Ruſcinonenſis.

Mediâ leuca à Perpiniano abeſt caſtellum Ronciglione, ubi olim urbs erat hujus nominis. Comitatus verò concluditur inter duo Pyrenæi brachia, quorum alterum ad Salſas, alterum ad Colibre tendit. Joannes II Arag. Rex ærarii inopiâ compulſus, Ludovico XI Galliæ Regi trecentis aureorum millibus hunc comitatum oppignoravit, quem Carolus VIII, anno 1494. Ferdinando Regi reſtituit non alia conditione, *teſte Botero part.* I. *delle relat. univ. lib.* I. quàm ne illi in regno Neapolitano ſubjugando, impedimento eſſet. *Mariana lib.* 26. *cap.* 4. hoc quoque fœderis tabulis perſcriptum ait, ne Ferdinandus Rex filias cuiquam Principi jungeret, niſi ex Galliæ Regis voluntate.

Ejus caput eſt *Perpinianum.* Urbs non admodum antiqua, ædes 4000 numerat, ſita loco plano ad amnem Thetim, verſus Meridiem in clivum leviter aſſurgit, cui caſtellum imminet, quod cætera Hiſpaniæ facilè præcellit: poſt ultimam Gallorum obſidionem anno 1543 muri egregiè communiti ſunt additis nonnullis propugnaculis; alioquin urbs inter amœniſſimas refertur, lanificio dives. vide *Nonium, & Marianam.*

Salſas, Latinis *Salſulæ.*

Fortalitium eſt Hiſpanicum contra Gallos muniſſimum, propugnaculis artificioſè inſtructum, ut non arx una, ſed plures videantur, ſubliciis pontibus ita à ſe invicem diſtinctæ, ut unâ licet captâ, reliquæ nihil damni inde accipiant.

Helna,

Helna, olim caſtrum Helenæ, opidum Epiſcopale.

Colibre, olim Illiberis, hodie tenue urbis veſtigium oſtendit.

Roſæ, vulgò Roſas. *Ampurias*; *Palamos*, *Blanos*, & alia ad oram maris opida cum ſuis portubus.

Sequitur tertium Arragoniæ regni membrum.

VALENTIA: Provincia hæc limites ſuos habet ad Orientem mare Mediterraneum, ad Septemtrionem Arragoniam, ad Occaſum utramque Caſtellam, ad Meridiem regnum Murciæ. Longitudo ejus eſt LX, latitudo XVII leucarum: Sinus habet duos. Sucronenſem, à fluvio Sucrone; & Ilicitanum ab Ilice municipio, hodie Alicante. Portus quatuor, Vineri, Deniæ, Xabiæ & Alicantæ. Quinque fluvios principales, Migliar, Moruedre, Guadalviar, Xucar, Segura.

Metropolis provinciæ eſt urbs Valentia, *idem nomen cum regno obtinens.*

Sita eſt ad fluvium Turiam, ſive Guadalavìas, à fructuum varietate amœniſſimus hortus Hiſpaniæ dicitur; unde ei nomen obtigit, *Valentia formoſa*, quæ cœli ſolique temperie nec felici Campaniæ (terra di Lavoro prope Capuam in Italia) cedit; Illuſtris eſt frequenti nobilitate, & Academiä, nec non origine magnorum virorum, ut Ludovici Vivis, & duorum Pontificum Calixti III & Alexandri VI. Non longè hinc diſtat *lacus Albufera*; nec non *porto el grajo*, pagus medio milliaris ab urbe diſtans, pro-

propugnaculis & tormentis munitus, ubi pons 150 paſſuum in mare protenſus. *Videantur Anton. Beuter in Chron. Aiſp. Nonius, Marineus Siculus, Mariana, Boterus in rel. par. 1. lib. 1. & Zeilerus.*

Morviedro, olim *Saguntus*. Mille paſſibus Valentia diſtans, nobilis & celebris à conſtantia & fame in Romanos perpeſſâ; unde manſit adagium; *Saguntina* fames. *vide Polyb. lib. 3. Plin. lib. 16. cap. 40. Liv. lib. 21. & 24. Flor. l. 2. c. 6. Val Max. l. 6. c. 6. Æmil. Prob. in Hannibale, Oroſ. l. 4. c. 14. Eutrop. l. 3. & alios.*

Gandia, ubi Jeſuitarum collegium celebre, à Franciſco Borgia inſtitutum, cujus ordinis & ipſe fuit.

Denia, ubi arx arte & naturâ munitiſſima, duobus portubus clara, ſita in colle ad mare, ſpeculam habens mari imminentem, quæ longinquum navigantibus proſpectum præbet, vide *Nonium cap. 67.*

Alicante, ad mare Mediterraneum celebris locus à generoſo vino, mercatoribus notiſſimo; portus tribus propugnaculis munitus eſt, caſtellum editiſſimo loco ſitum paucum præſidium habet.

Xativa, in editiori colle ad fluvium Sucronem ſita, fontibus & fructibus, malis præſertim punicis abundat.

Guardamar, ad mare à proventu ſalis dives, quod Belgæ evehunt.

Biar, candidiſſimi mellis copiam ferens.

Orihuela, Latinis *Orcelis*, *S. Mattheo*. opidul.

Peniſcola ad mare, in ſcopulo pyramidali ſita

ſita, refugium & latibulum Benedicti XIII Papæ, cum Conſtantiæ honore papali privaretur.

Reliqua municipia ſunt *Xerica*, *Elche*, *Traiguerra*, *Talets*, *Las cuevas*, *Salſadella*, *Villa real*, & alia; de quibus conſulantur Auctores Hiſpanici.

Viſis Arragoniæ regnis & urbibus, ſequuntur Inſulæ *ad eam pertinentes; quæ ſunt, primò* DUAE BALEARES, *quæ vulgò* Majorica, *&* Minorica *appellantur.*

Malorca, 100 millia paſſuum in longitudinem, 480 millia paſſuum in circuitum patet, *Bernard. Gomeſ. lib. 6. de rebus Aragon. in vita Iacobi. I. Arrag. R.* Inſulæ forma quadrata eſt, quatuorque anguli totidem cœli plagas ſpectant. *Mariana lib.* XII. Inſula fructibus, animalibus ad uſum, alimenta, & delicias abundat: frumenta, ſal, oleum, vinum, caſei, pecora, armenta, carnes ferinæ in ſummo hic proventu; cuniculi, cervi, damæ, ſylveſtres apri copioſi ſunt, & ad exteros emittuntur.

Præcipua urbs, eſt *Majorica*, 10 patens portis. *Gomeſius.*

Minor Balearis, vulgò *Minorica*, Orientalior eſt.

Inſulæ ambitus CL. millia paſſuum eſt, unam tantùm urbem habens, *Minoricam* nomine; & duos portus; *Maon*, & *Formelle*.

Secundò, DUAE PITIUSAE, *quarum major dicitur* Yvica, *minor* Formentere.

Yvica, olim *Ebuſa*, ambitu ſuo C. millia paſſuum complectitur, opidum ejuſdem nomi-

nominis habens, agro fertili gaudens, fructus frumentaque ſuppeditans, cum abundantia ſalis Europæis aliis gratiſſimi.

Formentere, olim *Ophinſa* aut *Colubraria*, ambitu LXX millia paſſuum habens; inhabitabilis ob ſerpentum abundantiam; cum è contra Yvica, præter cuniculos ſegetem & terram ſubvertentes omnis venenati animalis ſit expers.

Visâ Hiſpania, ſupereſt regnum Navarræ.

Hoc incipit à montibus Pyrenæis, & deſcendit ad Iberum fluvium, magna tamen ex parte montibus concluſum: habet inſuper trans Iberum aliquot opida Hiſpano ſubjecta. Regnum hoc ante 100 & plures annos Ferdinandus Catholicus penè omne occupavit, cum Johannes Albretanus Navarræ Rex, Ludovico XII Gallo opem ferens à Julio ſecundo Papa proſcriptus & excommunicatus eſſet. Eadem formâ adhuc hodie poſſidet Hiſpanus, exceptis paucis locis quæ Galliarum Regi, legitimo Regni hæredi hodiè ſuperſunt, & vix ſextam regni partem faciunt, de quibus in deſcriptione Galliæ nobis ſermo erit.

Regni caput eſt *Pampelona*, olim *Pompejopolis*, ad flumen Argam non longè à Pyrenæis montibus ſita, firmo muro & duobus caſtellis munita. Hæc eſt infauſta illa urbs, juxta quam Ignatius Lojola in præſidio pugnans cum Hiſpanis ac conterraneis ſuis, ſclopeto trajectus, ita ut amplius bellum ſequi non poſſet, vel pœnitētiâ ductus, à vita militari vocatus eſt ad monaſticam illam,

illam, ex qua Socii Jeſu, ſi credere fas eſt, evaſerunt.

S. Iohannis, pedis portus, opidum. *S. Iuan de pie de porto*, ſitum in altiſſimis montium jugis, quorum adſcenſus XII mill. paſſuum fontes ibi frequentes; & ferri fodinæ.

Ronce valles, Rocida vallis, clarus locus ab internecione Rolandi, agnati Caroli Magni. *Vide Marian. lib 7 rerum Hiſpan. c.* 11.

Alia municipia in hoc regno ſunt, *Tievas, Tafalla, Olite, Arguedas, Tudela, Stella, Sanguezza, Alfaro, &c.*

Hactenus vidimus Continens Hiſpaniæ; ſequitur CONTENTUM, ſeu quod præter terram in Hiſpania continetur, quod eſt ipſa HISPANIAE GENS.

Diſtinctionem hanc Continentis & Contenti eo fine dedi, ut terra continens ſua bona in animalibus irrationalibus & fœcunditate fructuum, ſeparanow ab incolis terram poſſidentibus, & hoc pacto regendum à regente homine videlicet; ut ſuperiori creatura, cui Deus ut è Sacris literis novimus, omnia creata ſubmiſit, diſtingueretur. Ne verò nimii ſimus in explicatione *Contenti*, ſive *Gentis Hiſpanæ*, memores nos compendium promiſiſſe, terminorum ſolùm nomina cum brevibus nonnullis notis ponemus, quibus quilibet poſtea ad lubitum uti poteſt, uberiori & fuſiori explicatione privatæ ſuæ diligentiæ reſervatâ, ſi velit ex Hiſtoricis, gentis hujus & aliarum formare deſcriptionem. In Gallia, quia hic formam brevem delineavimus, non tam altè penetra-

bi-

bimus: In Germania & reliquis provinciis modeſtè nos contrahemus, & calamum ad provinciarum ſolùm diviſiones & explanationes vertemus, ut ſerviamus captui ejus, cui hæc conſecramus. Cæterum, ſingulas Europæ partes, uti in Hiſpania monſtravimus, curatius enucleare, non eſt hic noſtri inſtituti: adeantur auctores, & ad methodum hanc evolvantur, ſi volupe eſt.

Gentis hujus conſiderabimus Originem, linguam, & conſtitutionem.

Ad Originem refero Etymon & Colonias.

Ad Linguam refero derivationem, dialectum, & pronunciationem.

Lingua eſt donata argutiis, brevitate, efficacia, gravitate, adagiisque & amphibologiis: non minus comtè ruſtici & tenuiores, quàm urbani & nobiles ratiocinantur, nam cum lingua illorum phraſibus haut quaquam abundet, neceſſario iiſdem verborum & ſententiarum modis utuntur, plena: Non tamen ubique eadem; aliquorum opinio eſt in regno Navarræ & Cantabria vetuſtiorem, imò primam Hiſpanicam fuiſſe linguam, quam Caſtiliani uſque hodiè intelligunt, appellantes eam Vazquenſem. Purior tamen eſt in Caſtilia antiqua & nova à Valladoledo ad Toletum uſque plurimis Latinis ſcatens vocibus, interdum Saracenicis mixta. Luſitanica ab hac differt, ut & Catalonica multum à Gallis ſibi applicans: Granada, ut & Sevilla, ſapit Arabicam linguam; ſuut qui volunt quartam Hiſpaniæ linguæ partem eſſe Arabicam, de qua exſtat libel-

libellus, cujus titulus: *Vocablos Arabigos introducidos en la lengua Caſtellana, recopilados en Granada por el ſanto oficio.* vide *Ioſeph. Scalig. in Epiſt. ad Caſaubon. Marin. Sicul. lib.4. Merulam par. 2. Coſm. lib. 3. c. 8.*

Conſtitutio eſt triplex, Corporis, Animi, Morum.

Corpus habet ſua naturalia, & accidentalia:

Naturalia vel in qualitate, vel in quantitate.

Ad qualitatem referatur forma coloris, membrorum diſpoſitio, & ſanitas.

Boterus ait, temperamentum melancholicum facit, ut Hiſpani mares viſu ſint hebetiori, colore terreno, & vultu triſti: fœminæ tamen magis formoſæ, gratioſæ, vivaces & agiles quàm mares, quia humoris abundantia melancholiam in illis minuit, & aduſtionem temperat. Eadem melancholia, quia non tantum ingenii promtitudinem remoratur, ſed & eloquendi dexteritatem, facit ut hæſitent. Laborum atque inediæ, quibus virtutibus omnes difficultates terrâ marique ſuperarunt, patientiſſima habent corpora. *Mariana.* Capillis nigris & præciſis ſuperbiunt; corporibus fuſci coloris ſatis pingues nitent, ſaginati ſuillæ carnis eſu, quam maximè appetunt, unde diverbium ortum Speck Spanier. *Benzo in hiſt. Nov Orb. lib.1. c.23. ait:* Caribes & vicini populi, qui carnibus veſcuntur humanis, ab Hiſpanorum carnibus abhorrent, verentes, ne tum quoque eæ carnes corporibus ſuis aliquid damni afferant, quamvis alii etiam Hiſpanos

nos

ios eſui ſatis aptos negent, quod ſint durio-
i & exſiccâ carne, niſi trucidati tres aut
quatuor dies macerentur.

*Ad quantitatem refero ſtaturam, quæ depreſ-
ſa vel procera.*

Hiſpani mediæ ſunt ſtaturæ, oſſaque ha-
bent grandiora ſed macilenta, fœminæ ſunt
parvæ & tenues.

*Accidentalia corporis ſunt habitus exterior,
ſeu veſtimenta.*

Hiſpani, *ait Boterus*, externam pompam
ſupra modum amant, itaque magnam fa-
cultatum ſuarum partem in veſtimenta &
ornamenta profundunt, etiam inopiam ma-
gna induſtria celant: multum de ſe præſu-
munt, & mirum in modum res ſuas extol-
lunt, quippe cum multa apud illos peſſimè
ſe habeant, pauca illa, quæ bona ſunt plura
ipſis videntur, quàm revera ſint. *Barclajus.*
Servatas parſimoniâ opes & ad temperan-
tiam inſtitutis corporibus ſæpe negatas, in
veſtitu conſumere amant, & ſic ad oſtenta-
tionem proferre, immenſa ſui fiducia, ſed
apud timidos aut patientes majore. Mea ob-
ſervatio eſt, quod nigrum habitum ament,
ſerico, & panno villoſo ſatisque vili, ex
hoc pallia conſuunt ad imum longa, reliqua-
rum pannoſarum veſtium tegmina; nec fa-
cilè ex hoc promiſcuo pallio diſcernas, cer-
donem veteramentarium aut circumfora-
neum è trivio; neque nobilem, nam gladio
omnes accincti, nobilem ſtatum è gente ſua
ſibi imaginanrur. Pilei loco umbellam vi-
deas è vili villo, latam ſine omni ornatu, ſi-

ne ſpira; collare exiguum retis inſtar cœruleo amylo ad æternitatem firmatum; thorax & caligæ lanæ aliquot pondera infarta habent, calcei unius ſoleæ ſunt orbiculis & nodis loco ligamentorum conſtricti, quos in plateis à pulvere purgant panno villoſo in caligis latente. Ocrearum hic rarus uſus, & hæ niſi ad genua longæ ſunt. Hæc, ſcilicet! eſt de decore veſtimentorum illis cura, Italis puntualità; magna vilium rerum vanitas. Fœminarum ornatum hic addi nimis longum eſſet; ſuperbæ ſatis aſcititio capillo, teniis intermixto aureis argenteis, formâ cum ſint depreſsâ, calonibus ligneis utuntur. (illis chapines de atauxia) pallâque ſive peplo è tenuiſſimo ſyndone conſuto, faciem, collum & reliquum corporis inveſtiunt; non addam hic inaures miræ magnitudinis & formæ; præteribo frontalia, monilia & brachiorum digitorumque ornamenta. Comitatus iis, ubi in publico ſunt, ſatis eſt numeroſus, maximam partem rhedis vehuntur, obequitantes ad latera habentes nobiles, nudiſque capitibus, qui operas illis faciunt ſerviles. Sed ad alia pergamus.

Conſtitutio animi habet bona naturalia & artificialia, iiſque contraria.

Generalis tantum ſit Marſelaer *de legat. l.* 1. *diſc.* 29. gentium ſingularum hæc conſideratio in naturalibus & artificialibus. Particulatim vero ſingulos ſi homines penitiùs contemplari juvat, reperiemus, naturam ultra patriæ communis genium, adhuc proprium ac ſingulare aliquid indidiſſe ſingu-
lis:

lis: prorſuſque ingenti miraculo, per tot capita populorum cuique ſua lineamenta indidiſſe, quæ tam frontis, quàm animi habitum diſſimilitudine diſtinguerent. Reperiemus, inquam, quot homines, tot quodammodo naturas eſſe: imo quemque ſuos pati manes, & habere peculiarem inſtinctum, velut domeſticum dictatorem, cui parendum ſit, vel violenter reſiſtendum.

Ad bona naturalia refero ſagacitatem vel ſtupiditatem, reliquaque quæ naturâ inſunt.

Bodinus ait, propter inſitum atræ bilis humorem ad quietem & contemplationem nati videntur Hiſpan. *Barclajus*; Reconditæ illis mentes & ad lenta conſilia idoneæ. *Mariana*; ab ingeniorum auſteritate, morumque ſeveritate atque arrogantia, odium nationum omnium ſuſtinent. *Boterus*; Hiſpani temperamento corporis ſunt melancholici, quod cognoſcitur (ut alia indicia prætercam) ex illorum exercitiis, feſtis, taurorum venationibus, luſu cannarum, decurſu equeſtri, quæ omnia ſunt melancholica & ſemel viſa quaſvis nationes ſatiant: & quia melancholia humor tenax eſt & viſcoſus, hinc fit ut Hiſpanorum deliberationes ſint tardæ & executiones lentæ, proceſſus graves, molimina firma. *Idem*. Eadem melancholia triſtes illos & parum urbanos facit: nam licet hàc illàc peregrinentur, raró admodum cum peregrinis amicitiam contrahunt, ne inter ſe quidem impenſiùs coeunt, abundant enim in proprio ſenſu, & ambitioſiſſimi pariter atque ſuſpicaciſſimi

 ſunt,

ſunt; facilè ſe contemni putant. Philautiæ denique vitio laborant. Sed ſatis de his.

Artificialia ſunt vel interna, vel externa.

Ad interna refero eruditionem in literis, linguarum cognitionem, Academias & profeſſiones.

Academias ut uno intuitu omnes habeas, recenſebo ſingulas ſequenti ordine ſecundum ſuas provincias, in Luſitania ſunt *Coimbra*, & *Ebora*, in Andulazia, *Sevilla*, *Baeza*, *Oſuna*, in Granata, *Granata*, In Caſtilla nova, *Toledo*, *Madrittum*, *Alcala de Henares*. In Caſtilla veteri, *Salmantica*, *Valladoledum*, *Oſma*, ſive *uxama*, *Siguenza*. In Gallicia *S. Iago*. In Legione, *Palencia*. In Aragonia, *Saragoza*, *Hueſca*. In Catalonia, *Barcelona*, *Lerida*, *Tortoſa*, *Tarragona*. In Valentia, *Valentia*. Summa XXII eſt, ſi numerum videas, omnes in Europæ regnis poſt ſe relinquunt; ſi faciem ipſam, è contrario omnes ſuperiores habent. Vide *Hiſpan. bibliothecam*. In Hiſpania *ait Barclajus*, ſtudia literarum eo cultu non nitent, quem hæc ætas nudis & ſqualentibus Muſis repoſuit, non enim Latinæ eloquentiæ ſtudium ibi viget, non venuſtas poëtices, non hiſtoriæ, priſcorumque rituum utilis & robuſta lepiditas. Veterem ac penè barbaram in quærendis ſcientiis rationem obtinent, philoſophiæ incumbunt, Theologiam amant, non ſpernunt legum & Canonum peritiam; ſed illas ſcientias græca latinaque eruditione mitigari indignantur, putantque hoc modo fucum addi, quo virilium literarum lineamenta elangueant. *Ita ille*; Obſervavi, latinam linguam illis

illis inobedientem eſſe in diſputationibus, profeſſionibus & colloquiis, tria vix verba Latinè eloquuti miſcent vulgarem ſuam Hiſpanicam (*Romaniſcam*, ſive *Romanſque)* cum Latina, *Vide Marian. lib.* 1. *rer. Hiſp. c.* 6. *& de morbis Societatis.* Ubi in Academiis diſputatio publica habetur, Præſes in cathedra flavi coloris è ſerico, amictus pallio conſpicitur, pileolo exiguo faſciâ & criſtâ ornato tectus: pedem cathedræ veſtit Reſpondens, hic minus ad rem dicens manibus pedibusque exploditur. Opponens, ubi argumentum aliquod propoſuit, oculos in omnes angulos hinc inde verſans auditorum exſpectat applauſum. Nugaciſſimæ nugæ! Salamancæ biennio, non quinquennio, (Juſtiniani placito) ſtudium juris emeriuntur inſigniti doctorali titulo, celebres, ſcilicet! Juris periti, Civitatis mox Oracula.

Ad externa refero artes mercaturæ, opificiorum, militiæ, & omnia mechanica.

Hiſpani abhorrent à laboribus, paucis contenti, *inquit Boterus*, Otioſi tamen magis amant militiam, quam mechanicam; dedecori ſibi ducunt, ſcilicet à Gothis progeniti, (hidalgos quaſi filii Gothorum) ad opificium ſi adhibeantur; imò famem ferre ambiunt præ laboribus. Coacti verò ad manuale opus, tractare illud neſciunt aliqua ſolertia, ita ut in omni Hiſpania vix reperias artificem aliquem excellentem in ſuo opere; unde tot Galli ex Arvernis & Lemovicenſibus Hiſpaniam inhabitant: In

Navarræ & Arragoniæ regno, omnes penè vindemiatores, agricolas, lapicidas, reſtiones, Ephippiarios & alios opifices offendes eſſe Gallos. Vietorum nullus eſt uſus extra Valentiam & Barcelonam, cum pellibus ſuillis & caprinis vina alibi indantur. Feneſtrarii hic rari ſunt ob feneſtrarum paucitatem; vitrariis tamen locus aliquis eſt. Cultrarii ſunt in æſtimio ob ferri bonitatem, Tonſorum dexteritas laudatur, venas utraque manu incidentium: Navigantium famam ſuſtinent Luſitani & Biſcaini. Militiam ſi ſpectas, plus pedeſtri quàm equeſtri valent, *ait Boterus*, & plus ſclopetis, quàm alio armorum genere. *Guicciardin. lib.* 10. inquit, peditum Hiſpanorum virtutem antiquæ ipſorum famæ reſpondere, nulloſque magis idoneos eſſe ad obſidenda opida propter agilitatem illorum & induſtriam. *Anton. Perez tom.* 2. *Epiſt.* 73. de ſuis conterraneis ſcribit: No ſe ſy ſabe V.S. que la Nacion Eſpannola dentre de un aſſedio es la mes paciente de todas, y la que mas reſiſte à la hambre, à la ſed, al trabajo corporal. Idque beneficio ſobriæ vitæ obtinent, contenti raphanis, lactucis, oleo, frugibus, porro, pauciſſimaque vervecinâ carne, & hanc ſi lautitiæ non negant. Quamvis verò obdurent & extrema perferant, ſeditioſi tamen ſunt & crudeles; illis poſt pugnam, *inquit Thuanus*, ut Germanis ante pugnam ſolemne eſt, non ſoluta ſtipendia per ſeditionem expoſcere. Crudelitatem eorum arguunt Indiæ ſatis, Belgium & Germania, ubi ſuperiores facti fuerint.

Sequi-

Sequitur conſtitutio morum, quam vel ad Eccleſiam vel ad politiam reſtringemus.

Mores Eccleſiaſtici ſunt in re religionis: ad hoc caput refero regimen Eccleſiaſticum per Archiepiſcopos & Epiſcopos; quorum numerus adponatur. Item tres ordines militares ſed Eccleſiaſticos, S. Iacobi, de Calatrava, Alcantara. His addatur Inquiſitio, ſuperſtitio & devotio Hiſpanica.

Boterus ait: Hiſpania undecim habet Metropolitanos, ſexaginta quinque Epiſcopos, quorum illi quingenta ſexaginta millia coronatorum, hi ſexcenta millia quotannis percipiunt; duplum autem Canonici & reliqui, beneficiati (ut vocant) longè amplius: ampliſſimus haud dubio reditus religioſorum. Ab his ſegrego Archiepiſcopos & Epiſcopos Portugalliæ, quos è *Marinæo Siculo. Auberto Miræo, Damiano; à Goes, Vaſæo, Nicolao Oliveira,* & aliis hic adjicias.

Ordines militares in Hiſpania numerantur tres: S. Iacobi, Alcantaræ, & Calatravæ.

Annuos eorum reditus, ut & Commendas locupletes è *Mar. Siculo & ex libro. cui titul. les états & empires* huc refer. Horum ordinum Magiſtri jam à temporibus Ferdinandi & Iſabellæ ſunt ipſi Reges Hiſpaniarum. Hiſtoriam, unde hoc venerit, vide apud *Marianam lib. 26. cap. 5.* Reges autem in hiſce ordinibus gubernandis ſubſtituunt ſibi alios, qui præfecti majores appellantur, & Hiſpano idiomate *Commendadores majores.* Talis Commendador major Ordinis Calatravæ fuit dux Albanus. His Caſtellæ ordinibus non adnumero eos qui ſunt in Luſi-

tania, & diſtinguuntur IV nominibus: *St. Iohannis*, *Chriſti*, *Aviſi* ſive *Sancti Benedicti*, & *S. Iacobi*. Vide *Boter. Coneſtagium lib.*1.*Marian. lib.* 26. *c.* 13. *Nicol. Oliveiram:* hic ſcribit Regem Portugalliæ, magiſterium ordinum militarium cum reditibus quoque ad ſe traxiſſe. Idem ſubjungit, opes Eccleſiaſticorum penè æquales eſſe ſecularium opibus, una cum Regiis. Huic ſuffragatur *Hieronym. de Cevallos*, inquiens; Si ratio earum terrarum, redituumque & omnium, quæ hodiè ab Eccleſiaſticis in regno Hiſpaniarum poſſidentur, ineatur, liquidò conſtabit, longè plus à Clero poſſideri, quàm à ſecularibus.

Inquiſitio, ſive Conſilium & tribunal S. Inquiſitionis generale (illis Conſejo de Inquiſicion. Y Officio Santo) primò contra Mauros & Iudæos, pòſt contra hæreticos ſcilicet inſtitutum.

Habet hoc conſilium ſuos Inquiſitores per totum regnum vagantes, qui dicuntur *Familiares Inquiſitionis*; hi ut dignoſcantur, cruces ex orichalco palliis aſſutas habent. *Salaʒar* numerat XX mill. talium traditorum, qui deferunt hæreticos, eosque capiunt, ſingulorum annua penſio eſt VIII C. Ducatorum. Præſes ſupremus ſive Inquiſitor generalis eſt Archiepiſcopus Toletanus, cujus annui ex hoc officio reditus ſunt C I Ↄ I Ↄ C Ducati. Huic adſunt ſex Inquiſitores, ex Monachis Franciſcanis, Dominicanis, Jeſuitis, & aliis Clericis; Fiſcalis inſuper, Secretarii bini, Procurator, Conſul, Solicitator, & alii ſubofficiarii. De modo

pro

procedendi in hoc officio videantur *VVolfius tom. 2. lect. memor. Lazaril. de Torm. par. 2. cap. 12. Reginald. Conſalv. de Hiſp. inquiſit. & Cranius de pace relig. par. 2. probl. 2.* In iis locis, ubi inquiſitio inſtituitur, templa & periſtylia hæreticorum proceſſibus & conflagrationibus ſunt deturpata; apud converſos Crucem adpictam; apud perſeverantes Diaboli effigiem capiti inſedentis videas. Horrendum verò eſt, quod *Dominicus Bannis profeſ. Salmantic. ſuper ſummam Thomæ q. 11. artic. 12. aſſerit*; inquiens; Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ex præſumtionibus etiam procedere poſſe, & teneri punire eum, qui ex dictis vel factis hæreticus eſſe apparet, etiamſi revera non exſiſtat. Porrò ſi quis hæreſeos accuſatus fuerit, conjicitur in carcerem, (cujus portæ inſcriptio eſt: *Exſurge Deus, judica cauſam tuam*) ubi nullæ feneſtræ, ſed exigua foramina ſunt, per quæ nemo incarceratum videre poteſt. Si Judæus examinatus confitetur ſe Judæum eſſe, vivus crematur, bonis fiſco adjudicatis. Sin verò negat ſe Judæum, teſtibus tamen convictus fuerit, priùs ſtrangulatur in pegmate, quam rogo injicitur comburendus. Ut verò in numerato habeas Inquiſitionis civitates, placuit ordine, quo *Iuan Gomez de Mora* locavit, *in ſuo ſcripto Madritti anno* 1632 excuſo, eas ſubnectere. Dividuntur eæ in duos ramos, alter Caſtellam, Aragoniam alter comprehendit; In Caſtella ſunt, & quæ ad eam forinſecus pertinent; *Toledo, Sevilla, Valladolid, Granata, Cordoua, Murcia, Ellerena*

in *Eſtremadura*, *Cuenza*, *Sanjago*, & *Inſula Canariæ*. In Aragonia, & quæ ad eam referuntur, ſunt, *Logronno*, ſub ſe habens Navarræ regnum & Biſcaiam, *Zaragoſſa Valencia*, *Barzelona*, *Palermo in Sicilia*, *Mexico* in nova Hiſpania, *Civitas Regum in Peru*, *Cartagena* in terra firma Indiarum. *Mallorca* cum ſuis adjacentibus inſulis. *Sardinia*.

Præter hæc loca Hiſpaniæ, Luſitania habet ſeparata Inquiſitionis tribunalia, quæ non dependent ab Hiſp. regimine, de quibus adeantur ſcriptores, Franc. Mennenius in deliciis Equeſtribus. Aubertus Miræus in originibus ordinum militar.

Supereſt devotio, ſive potius ſuperſtitio Hiſpanica.

Boterus ait; Hiſpani Eccleſiis, rebus ſacris, & præſertim ſanctorum reliquiis, & potiſſimum Beatæ Virgini ſummam reverentiam exhibent: fidem facit Cleri Hiſpani opulentia. *Barclajus*: Maximè iis ſolemne eſt, ad parandam reverentiam, nomine cælitum uti, ſpecieque ſacrorum ſubducere ambitum oculis vulgi. Numini ſuas cupiditates imputant, & veluti pro illo depugnantes ſolertiſſimè ſibi vincunt. Illa veluti præfatione in omnium rerum cœpta, tanquam in ſcenam & tragœdiam intrant. Ubi caput in plateis aperiunt invicem ſeſe ſalutantes, inquiunt: *Alabado ſea el ſantiſſimo ſacramento, y Ieſu Chriſto*. Franciſcanorum (*Fray les descalçados*) cucullos baſiando honorant; infantes ægrotos voto, huic vel alteri Sancto conſecrant, eoſque ſanitati reſtitutos ejuſ-

dem

dem ordinis habitu induunt: facetum eſt, tot infantulos in publico oberrantes monaſtico habitu videre. Calcaribus templa ingredi indignantur; Muſica in iis non meretur famam, quia Hiſpani nullo excellent inſtrumento muſico, criticè quod à nobis obſervatam: moniales ſuis moribus invocant plebem & muſicis illectant vocibus; ſequior interea ſexus decuſſatis tibiis in terram ſedens admittit alloquia virorum, nec non paſcitur ſaccharatis eduliis & potationibus. Quis non admiretur devotam hanc congregationem?

Ab Eccleſiaſticis eamus ad mores politicos, qui vel privatim vel publicè explicentur.

Privatim ſunt uniuſcujuſque, & vel ad ſeipſum ſpectant, vel ad alios.

Ad mores uniuſcujuſque privatim refero virtutes & vitia gentis.

Breves hic erimus, ne laudibus vel vituperiis gentem oneremus; Biſcaini integerrimæ ſunt famæ & hoſpitales erga exteros; In Catalonia incolæ Vicenſes inculti & inurbani dicuntur, ignorantia & ruditate præ cæteris Hiſpaniæ populis ſingulari inſignes. Aliàs Hiſpani rigidi Adminiſtratores juſtitiæ ſunt, nec ullus apud eos reſpectus habetur perſonarum, ſit majorum vel minorum gentium. In bello pugnaces, in obſidionibus conſtantes, in vitâ ſobrios ſe jactitant. Illis frugalitas eximia, dicit *Barclaius*, non tantùm in ſuæ Hiſpaniæ æſtu (ubi corpora nimio Sole marcentia cibum pati non videntur) ſed ubicunque ſuorum nummorum

periculo edunt. Modicus panis,nec pretioſa herbarum condimenta,aſſuetis tam rigidæ virtuti plerumque ſufficiunt. In alieno autem ſumptu, haut facilè alii ad menſarum hilaritatem meliores. Nulla tunc ſeries opulenti convivii, quam non totam oculis manuque percenſeant. In ultima paupertate ſupercilium non omittunt. Fallunt tamen Hiſpani tantorum ſpirituum ſpecie, quales naturâ ſponte & ſæpe incogitantes effundunt: nam pleriquè illorum parca modicâque ſorte contenti, ne ſpem quidem ad majora faſtigia & ſupercilio ſuo digna videntur attollere. Hinc videas ad arcium præſidia modico ſtipendio collocatos, velut in patriis laribus inter impares tam ambitioſis verbis curas, ad ſenectutem pervenire. Notavimus hoc in præſidio Gandavenſi, Antverpienſi, Cameracenſi, Mediolanenſi, Neapolitano, Gajetano, & in ipſa Hiſpaniæ Regia. Hoſpitia publica advenæ ſunt ingratiſſima, nulla ibi benevolentia in admiſſione, extra portam ædium ſubſiſtere juberis, donec prætori viſum, ut intres; admiſſo præter oleum, acetum & Sal nihil offertur, mappam & vaſa precibus obtinebis, panis, vinum, & obſonium foris quæres, nihil addam de lectis, nam ſordium hic eſſet larga materies. Privatæ ædes parum elegantes ſunt, præcipuè in Mediterraneis, ubi domus è creta aut limo minus affabrè factæ; Cameræ non ornantur, ſi hic ornatus dicendus, niſi pulvere ſcamna & ſedilia obſidente, nullus ibi clavus, ubi vel pallium pileumve

madi-

madidum ſuſpendas; nullibi cloacæ, earum loco, vaſa fictilia dormitoriis vel cœnaculis importantur, quę excrementis repleta, in publicam viam exonerantur; materies næ! fœtoris ſpurciſſimi; nec hac amethodiâ ipſum Madrittum caret, ubivis cloacarum quæ quaſi excrementa oſtendit. Ædium facies contra ardorem ſolis ſtructa eſt, non ibi ſpecularia vitra, ſed ligneæ tabulæ pro feneſtris. De caſtitate Hiſpanorum mox videbimus.

Mores, quæ ad alios privatim ſpectant, referuntur ad Conjugium, cujus ceremoniæ; Item ad infantum educationem.

Caſtitas apud Hiſpanos velo turpitudinis proſtat, majorum etiam uxores non verentur eſſe venalia proſtibula, præſertim opulentos nactæ procos. Ex vulgo maritus uxorem mœcham ſciens, indeque quæſtum faciens ab illa accuſatus, cui is traditur, cornibus pileo impoſitis, colloque numellis circumdato fuſtigandus, ſed uxor à lictore flagris quoque cæditur. Marito verò tori maculam non ferenti, uxorem cum mœcho cubantem impunè occidere permiſſum eſt. Sodomiæ crimen igne punitur, exemplum Madritti duo rei dederunt nobis præſentibus. Lupanare exercitium tantùm abeſt, ut ſit interdictum, ut etiam honorem mereatur; præ cæteris malè audit Valentia. *Boterus in relat. univerſal.* ait; Non è città in Europa, ove le donne di mal' affare ſiano più ſtimate, conciosia che quivi è d'habitatione, è di veſtito, è di ſervitù la libidine avanza

l'honeſtà. Quod multorum flagitiorum inſtar eſt, multi, ut quæſtum faciant è vernis natis, ancillas, tamquam columbas alunt, quarum concubitu adeò non offenduntur, ut etiam admiſſariis gaudeant; cum partus ventri cedat, non vicino ſacrificulo, aut neſcio cui Æthiopi & captivo. *Vide Clenard. l. 1. Epiſt.* Exemplum ſalacitatis vide in Regina Aragoniæ apud *Mich. Montan. lib. 3. cap. 5. des Eſſais.* Verùm ut lupæ iſtæ & vulgaria proſtibula ad emendationem aliquam vitæ adducantur, inſtituitur ſermo publicus in Lupanari hebdomadâ ſanctâ, quod Madritti cum eſſemus peractum; Habito ſermone Monachus inquirit, ſi quæ ſint, quas infamis vitæ pœniteat; ſi quas pœnitentes offendit, iis cereus in manus inſeritur accenſus, effigieque Mariæ prælatâ abducuntur in Monaſterium aliquod, è quo extractæ in oppidum S. Lucar aut aliò ablegantur ad matrimonia ineunda; ſcimus ſuperatâ Sierrâ Morenâ (rupes ſunt in itinere Toletano verſus Sevillam) Granatam intraſſe ad connubia veluti honeſtas puellas.

Mores Politici publicè ad alios relati reſpiciunt formam & ſtatum regiminis, qui vel reſpectu Regis conſiſtit in jubendo, vel reſpectu ſubditorum in obediendo.

Ad Regis perſonam refero omnem ejus dignitatem, regalia, ſucceſſionem, familiam, Oeconomiam, Gynecæum, menſam, regiam, conjugium & liberos; Judicia regia, reditus annuos, ærarium, expenſas, imò totam aulam cum omnibus quæ illa in ſe

com-

complectitur. *Vide Zeileri itiner. Hiſpan. c. 1. num. 14.*

Subditi ſunt vel nobiles, vel cives.

Huc referantur nobilium familiæ, & ordines per gradus: ſunt ſiquidem inferioris ſubſellii gentilhombres; ſunt Hidalgos, quaſi hijos dal godos, vel filii Gothorum, ſunt Cavalleros altioris dignitatis & multis privilegiis gaudent; ſunt Barones vel Varones, ſive Vizondes; ſunt Condes, Marquez, Duques, & tandem los Grandes, quorum ſumma dignitas poſt Regem, hi Regem adeuntes, alloquentes tecto ſunt capite: Ex his Equites aurei velleris creantur. Omnes tamen majorum gentium rhedâ vecti quatuor tantum equos vel mulos adhibent; ſolus Rex ſex vehitur. Vide *Nobiliar. Genealogic. de los Reyes de Eſpana Alonſi Lopez de Haro. It. Alfonſ. de Azevedo. Marin. Sicul. Salazarium & alios.*

De civitatibus ſciendum, quod in comitiis poſt regnorum legatos ſuam etiam habeant ſeſſionem, ſuiſque gaudeant privilegiis. Vide ſtatuta regni & legem *Partidæ*, h. e. legum Hiſpanicarum Codicem. *Item librum, qui inſcribitur Conſervatio Monarchiæ Hiſpanicæ, Petri Ferdinandi Navarettæ, impreſſum Madritti* 1626.

Vtriq; tam nobiles quam cives parere tenentur legibus civilibus & criminalibus, earumq; pœnis.

Huc referantur excellentiores leges, earumque pœnæ cum circumſtantiis. Exempli gratia, homicidarum aſyla ſunt monaſteria, aut fuga ex uno regno in aliud. Latrones telis

vel

vel jaculis necantur. Sontes levius caſtigandi aſellis imponuntur, circum ſe habentes tintinnaculos viros: fortè hoc ab antiquo Romanorum more, qui ſupplicium de ſervis ſumpturi, tintinnacula ad plebem convocandam adhibebant, *Turneb. lib.* 11. 21. Lictor ſcapulas nudas ſoleâ bubuli corii cædit: poſt hinc inde per vicos & plateas ducti ſatisque verberati, lictori pro opera & flagris acceptis mercedem ſolvere tenentur rei, aut veſtibus exuuntur.

Capitis pœnam luituris miſſa pro anima celebratur, in eum finem pridie per plateas oberrant famuli cum tintinnabulis & cupreis pelvibus, collectantes domeſticatim numos clerico ſolvendos, ut cantet miſſam pro anima rei è purgatorio liberanda. Hic ſit finis Hiſpaniæ, egrediamur in Galliam.

CAP. III.

DE GALLIA.

Galliæ deſcriptio erit in continente, & contento.

Continens eſt ipſa regio, ſive regnum, cujus ſitum, quantitatem, qualitatem & diviſionem contemplabimur.

Gallia habet ab Ortu Germaniam ſuperiorem cum alpibus & parte Italiæ; à Meridie partim mare Liguſticum, partim Hiſpaniam & Pyrenæos montes; ab Occid. partim Oceanum Aquitanicum & Britannicum partim magnam Britanniam; à Septemtrione inferiorem Germaniam & partẽ Angliæ.

Situs

Situs eſt vel reſpectu Terræ, vel Aquæ.

Ad terram refero montes & ſylvas.

Montes præcipui tres numerantur, Cebenna, Vogeſus, & Jura.

Cebenna, ſive *montaignes de Cebenes*, ſive *Montaignes d'Auvergne*, diſtinguentes Arvernos ab Helviis, ou ceux d'Auvergne à ceux de Vivaretz. montium horum pars dicitur *Tarara*, in cujus ſummitate eſt ſedes petræ inciſa, la chere de la veritè, huic mercatores Lugdunum euntes imponunt è comitibus ſuis eos, qui nunquam Lugdunenſi mercatui interfuere, ibique tenentur jurare num ibi fuerint nec ne, & polliceri quid in compotationem pro genio exhilarando. *Vogeſus*, *mont de Faucilles*, ou *mont Rouland*, ſeparat Burgundiam & Alſatiam à Lotharingia, evomens Moſam & Moſellam fluvios, eo loci mons dicitur der Kratzer. Vide *Ortel. Iura* mons initium habet in finibus Baſilienſium prope Rhenum ad locum Waldshut / altius & prægnans ſaxis, quibus innititur, noſtro ævo pro ratione locorum diverſorum varia ſortitur nomina, quæ vide in *Atlante Merulæ*, & alibi. Gallia verò alias adhuc habet provincias montoſas in Delphinatu, provincia, Sabaudia, Burgundia, inque agro Andegavenſi: de quibus hic non agemus.

Sylvæ non ſunt ſpacioſæ, ſed frequentes & parvæ, nec horridæ ut in aliis regionibus; maxima ſylva eſt Arduenna, *quæ ad Germaniam & Belgium tendit*, der Lutticher wald.

Reliquæ ſunt parvæ, la foreſt d'Orleans,

qui

qui eſt de plus grande étendue, qu'aucune de France, la foreſt de Fontaine beleau le paſſetemps de Roys, de meſme qu'eſt bien ſouvent celle de Montagris. *l'hiſtoire des états* la foreſt de Compiegne, has & alias vide apud Atlantem &c.

Aqua comprehendit mare, ſinus, portus, lacus & flumina. Mare habet Ocean. Britannic. Aquitanic. & maris Mediterranei partem, quod mare Gallicum dicitur. *Sinus* ad Oceanum Britannicum ſunt in receſſibus, ubi Diepa & Caux: ad Ocean. Aquitanicum, ipſe ſinus Aquitanicus; ad mare Mediter duplex; major, ubi Rhodanus mare. Mediter. ingreditur: minor ad promontorium montis Pyrenæi, ubi Salſes. *Portus* in Picardia Caletanus, Bolognienſis, item ad fanum S. Audomari, Itius olim dictus; in Normandia Caën, Diepa, Haure de grace, ſtructura Franciſci contra irruptiones Anglorum, Rouén, Honfleur, S. Sauveur, Quarentin, Caumont, Auranche. In Britannia S. Malo, Secar, Nantes, S. Paul de Lyon, Roſcou, & verſus Meridiem Breſt. In Pictonibus, Luſſon, in Santonibus la Rochelle. In Aquitania Bourdeaux, Bayonne, In Narbonenſi Gallia, Narbona: in Provincia Aigues mortes, Arles, Marſeille, Toulon, ubi triremium ſtatio, Antibo ad mare Liguſticum portuum ſatis, ſi Galli commoditate eorum modo rectè uterentur. Claſſes per omnis nominis maria litoraque poſſent emittere, ſi quàm equis, tam navali induſtriæ adſueſcerent, ſpeſque ut ſubitas ita longas ferre poſſent. *Lacus,*

ens, inter quos primus eſt Lacus Lemanus ad Genevam, 2. in Arvernia in monte non procul à Beſſo opido, qui dicitur fundo carere à profunditate; nullam ibi vides aquam influentem, audies tonitrua, videbis fulgetra, habebis pluvias cum grandine ſi quid in eum injeceris. Inde non procul crypta eſt, *Creux de Soulcis*, abyſſus ſine fundo, ubi aures admoventi ingens murmur & ſtrepitus oboritur, tonitrui remotiori vel advenienti non abſonus: nec æſtate ceſſant venti in cavitatibus inter ſeſe belligerantes. Lacus item inter Maſſiliam & Arelatem, vulgò l'eſtang, ubi Marius foſſam effodit. Lacus item Abitacinus non procul à Clarmontio in Arvernis, de quo Sid. Apollin. lib. 2. ep. 2.

Flumina, Galliæ nobiliora ſunt, Moſa *la Meuſe*; Sequana *la Seine*, oritur in Burgundiæ ducatu non longè ab opido Nivers, tendit Pariſios, Rothomagum, & ad portum Haure de grace in mare, ubi locum Normanni appellant *la bare*. Ligeris, la loire oritur non procul Lugduno, ubi le font de loire, penes Nannetum in Britannia in Ocean. Occid. ſe mergit, dicitur pater fluviorum Galliæ. Garumna, la Garonne in montibus Pyrenæis ad oppidum Guadalup oritur, Tholoſam, Aginnum, Burdigalam alluit, deinde periculoſo oſtio ad turrim Cordan in mare Aquitanicum ſe mergit, ubi periculum à ſcopulis mare occupantibus. Rhodanus le Rhoſne in Helvetiis non procul à Seduno oritur ad montem Briga, deſcendit ad villam novam in Lacum Lemanum, quem

quem ingreſſus, ſervato fere colore permeat, adque Genevam egreſſus, Lugdunum tendit, ubi rapido curſu tardiſſimum fluvium Ararim ſecum vehit, & quinque oſtiis, ubi Viennam Valenciam, Avignonem præterlapſus apud Arelatem ſe in mare præcipitat. Araris la Saone & reliqua flumina inter minora numerantur, ut Druentia ſive Durance, Duranius ſive Dordogne, Elaverus, Iſaris, Charente, Dracus, &c.

Sequitur Quantitas Galliæ, quæ eſt exterior & interior. Exterior in ambitu, qui dicitur mille viginti milliaria excedere.

Si ambitum metiri velis, duc lineam à Caleto in gyrum, ad Ortum relinquitur inferior Germania, Lotharingia, Comitatus Burgundiæ, Sabaudia & Pedemontium; ad Meridiem, quâ apertior liberiorque placido mari Mediterraneo, quâ verò Hiſpaniæ adhæret, Pyrenæis montibus terminatur: ad Occidentem habet Oceanum Aquitanicum: ad partem Septemtrionis, quâ Angliæ eſt obverſa, Oceanum Britannicum.

Interior in longitudine & latitudine.

Longitudo dicitur eſſe ab Occaſu in Ortum milliarium Gallicorum paulo amplius CCC, vel à Cauzo in Vulturnum ſupra 330. h. e. von Nordweſten in Südoſten. Latitudo dicitur eſſe milliarium 285. (*Cluver. l. 2. geogr. cap.* 14. computationem facit in milliaribus Germanicis dicens, longitudinem ab extrema Britannia ad Varum uſque fluvium, Italiam à Gallia diſcriminantem, eſſe milliar. Germanicorum CLXXX, latitudinem à Py-

à Pyrenæis jugis in Bearnia ad extremam uſque Picardiam milliar. CXL. Tanta hujus regni eſt ſpatioſitas, ut regna non provincias, ſi ſine affectu rem dicere velis, contineat; accedit forma penè rotunda, quæ omnium eſt capaciſſima.

Qualitas ſequitur vel in Incommodis, quod nimirum Gallia plurium obnoxia ſit ventis Septentrionalibus; vel in Commodis, quæ proveniunt à cœlo & terra.

Ob cœli temperiem optimis Europæ regionibus accenſetur, à Claudiano quoad conſtitutionem dicitur feliciſſima, à Cæſare ſaluberrima. Quantum ad clima, Gallia in parte ſub 5. eſt ſita, ſub ſexto & ſeptimo tota, parte quoque ſub octavo: ſaluberrimo gaudet aëre, non tam frigido ut Germania, non tam calido ut Hiſpania, nec tam humido, paludoſo & catharroſo, ut Belgium. Nec ſtubas Germanorum, nec Mauritanorum ſpecus ſubterraneas deſideras, ait *Lanſius*. Vide de temperamento aëris *Bellum t.3.diſc.18*. Communiter eſt temperatiſſima aëris conſtitutio. De Burdigala notandum: Bordeaux ſeroit une des meilleures demeures de France, ſi l'air marin, & les vapeurs des eaux ne rendoient cette ville ſi ſujette à diverſes maladies.

Terra eſt fertiliſſima hominum genitrix, omniumque regionum quæ ad Occidentem receſſerunt feliciſſima.

Bellus ait tom. 1. diſc. 15. Omnium rerum proventu ita felix eſt Gallia, ut non modo regni uſui ſatisfaciat, ſed etiam emittat in Hiſpaniam Portugall. Flandriam, Angliam,

Syriam,

Syriam inque alias longinquiores regiones *Gallus de ſua Gallia dicit*; *en l'hiſt. des états*; Certes j'eſtime qu'il n'y a pas ſon ſemblable en abondance de toute ſorte de biens, encorque quelques uns le ſurpaſſent de beaucoup en eſtendue. *Alius ait*, la France eſt le petit oeil, & la perle du monde. Ipſi Galli exiſtimant, Deum omnia bona Galliæ largitum ſoli eſſe, reliquis verò nihil. idcirco exiſtimant, peregrinos in Galliam venire; ut bene vivant & lautè conviventur. Prius ſuo modo verum; poſterius manifeſtò falſum; Concedo quod *Lanſius* ait: Soli & uni Franciæ privilegium hoc cælitus conceſſum eſt, ut fertilis ſit bonorum omnium, nec ullibi apud peregrinos tam rarum carumque videtur quicquam, quod Gallis non ſit domeſticum & commune. *Creditrix ditionum omnium, debitrix nullius. Boterus in relat. univ. p. 2. lib. 2. homo Italus*, quamvis dicant, che Lombardia ſia il giardino del mondo, & Campaniæ plaga toto orbe terrarum pulcherrima, opponit ſe inquiens: duas tertias Italiæ partes nullis interlui fluminibus navigabilibus: quartam partem occupari Apennino monte, maximam partem aſpero & ſterili. *Idem p. 2. lib. 1.* quod in Italia paucis locis ſingulare & admiratione dignum, id in Gallia ubivis. Veteres dixerunt, Galliam habere quatuor magnetes, qui foris ad ſe pertrahant pecuniam, ſunt autem *Frumentum, Vinum, Sal, Linum*. Ex ſola Portugallia IV milliones pro frumento in Galliam tranſportantur. *Conneſtag. de Portug. lib. 1.*

Alii

Alii volunt, quotannos reditus ex frumento eſſe CL tonnas auri, hinc Hiſpani directum pecuniæ dominium, Galli verò utile habere videntur. Qui aurum anxiâ & crudeli diligentiâ effodiunt & ab extremo devehunt Sole, videntur Gallicæ felicitati famulari. *Euphor. in Icon.* Hiſpani ad nos veniunt, inquit *Pet. Matth. in Panegyr. Henr. IV.* non nos proficiſcimur ad illos neque nobis donant ſuas pecunias, ſed debent nobis veluti ſuis creditoribus. Gallus Lisbonam intrans cum tritico, quando exclamat; *traho tritico* h. e. fero triticum, nemo ipſum tangere aut accuſare poteſt. Inde factum, ut Britonibus pro frumento permiſſum exportare aurum, quod aliàs in Hiſpania prohibitum, ad ſummam; Gallia frumentum aliis dat fermè omnibus, nunquam accipit.

Ex vino reditus regii ſunt annui XX tonnæ auri & plures; de abundantia, bonitateque ejus ſuperſedeo heîc verba facere; loca tantum aliqua ponam, ubi felices uvæ proveniunt *l'hiſtoire des états*; Sur tout le terroir d' *Orleans* eſt renommé pour les excellens vins tant blancs que clairets qu'y croiſſent, & qu'on vient querir non ſeulement de Paris, mais bien ſouvent meſme d'Angleterre. *Le vin de Grave* autour de Bourdeaux eſt cognu par toute l'Europe Occidentale & Septentrionale, & outre les vins de Grave, il y à ceux de *Larmont*, *la Baſtide*, & lieux voiſins, & encor les blancs qui viennent à Melun, qui ne doivent rien aux Grecs. Sur tout on eſtime les vins blancs qui viennent

nent de pays de *Maine*,auſſi en le pays *d'Anjou*, comme étans des meilleurs du Royaume.Le terroir de *Beaune* parte bonne quantitè des bons vins renommez par toute la France. Alia loca ſunt *Gratianopolis*: ubi vinum S. Martin, *Vienne, Valence, Montlimar, Niſmes, Moutpelier, Tournon, Frontignac, Coignac, Sens, Auxerre* &c. Sed ſatis de his.

Sal ex aqua marina fit magnâ copiâ in Britannia, prope Rupellas, & ad fortalit. Brouage, nec non in provinciali territorio. Les ſalines de Beguais (1. milliar. diſtat ab Aigues mortes prope Arelatum) ubi ſalinæ regiæ: ad eas per tubos & canales ſubterraneos è vicino mari aqua ducitur ad unum atque alterum fontem. Eam muli rotarum adminiculo extra terram tollunt, & per diductas foſſulas, compluresque rivulos ita diffundunt, ut XVII paludibus aqua illa ſtagnans cohibeatur. In hanc Sol, menſibus Julio & Auguſto, radios ſuos æſtivos conjicit, atque ex ea, partibus tenuioribus & dulcioribus exſiccatis, quod ſupereſt, in ſal coagulat: hujus multæ ibi videntur metæ & acervi. Has ſalinas Rex 50000 aureor. quotannis ſolet elocare. Linum & cannabis plus opum infert Galliæ quàm uniones & margaritæ. *Euphor. in Icon. c. 3. ait.* Gallia multa carbaſo & cannabi dives, neceſſaria plerisque gentibus vela, & quæ cætera ex funibus in claſſium armamentis idonea ſubminiſtrat, ut experientia loquitur in urbibus, Hiſpali & Ulyſippone.

Præter hæc 4 verò terræ bona Galliæ abun-

bundat pecoribus, armentis, ovibus, equis, piſcibus, feris, volatilibus, fructibus, ſerico, panno, & quibus non? Ita verum, que la France ne cede en richeſſe au Peru, ni en fertilité à pays qui ſoit ſoubs la chaſſe du ciel. *Ser. t. 1.*

Sequitur diviſio Galliæ, quæ eſt in Provincias & inſulas.

Inſulæ Galliæ in Oceano Britannico ſunt multæ, ſed parvæ, uti *S. Malo*, paucis milliaribus ab oppido Auranche diſtans; In Oceano Aquitan. ſunt *l'Iſle Noirmonſtier*, ubi Abbatia blanca: *l'Iſle de Dieu*; *L'Iſle de Rez*, non procul Rochella, in qua oppidum S. Martin vini frumentique ferax: *l'Iſle d'Orleron*. Cujus longitudo ſex milliarium, latitudo trium, VI pagos continens, vini excellentis ferax, & ſalis coctura dives. In mari Mediterraneo ſunt *Magellona* prope Monſpelium, ubi caſtrum antiquum & novum ex hiſtoria. Item aliæ *de Eres*, prope Toulon; ſive *Hieres*, *Stoechades*, ubi corallium legitur. *Martigia*, *Camargue*. Item *Inſula Tequenſium*, de quibus Autores conſulendi.

Provinciæ Galliæ apud veteres diſtinguebantur in Galliam Cis-alpinam & Trans-alpinam.

Altioris intellectus ergò, repetemus altiùs ex hiſtoriis hanc diſtinctionem. Regnante Romæ Tarquinio priſco. V. Romanorum rege, Galli multitudinis minuendæ gratiâ, Alpes tranſgreſſi, mediam prope Italiam occuparunt. Duplex igitur Gallia tunc à Romanis habita fuit; Una *Cis-alpina*, in quam

Galli commigraverant, quam Cæſar eleganter propter Alpes interjectas Citeriorem nominavit, altera *Trans alpina*, ex qua venerant, quæ ab eodem Ulterior nominatur. Ducentis poſt annis aut circiter captâ urbe, dum Galli cum Romanis per LXXX annos vario Marte decertant, Romani in veſtium & cultu varietate Galliæ diſcrimen notarunt, eos qui in Italia conſederant, propter togas, quibus ad Romanorum morem utebantur, *Togatos*, dicentes, & *Galliam togatam*, Qui verò mari Mediterraneo propinqui eſſent, à veſtibus brevioribus, terrorique incutiendo, ob varium colorem accommodatis, quas patrio nomine *Braccas* appellabant, *Braccatos Gallos* & *Braccatam Galliam* vocitabant. Reliquos Galliæ populos longiùs ad Oceanum ſitos, neque ſatis cognitos, nec regione illorum peragratâ, omnes uno eodemque nomine à promiſſis comis, quas ſtudiosè alebant, *Comatos*, dixerunt. Ubi verò potentia Romanæ urbis crevit, ita ut ſuperatis Alpibus Fabius cum Allobrogibus, Domitius cum Avernis, difficilia ac diuturna bella gererent, tractus à Géneva ad Pyrenæos montes extenſus *Provincia* eſt appellatus, quod nomen & hodiè maritima ejus pars retinet; reliqua omnis Gallia Citerioris & Togatæ, Ulterioris & Comatæ nomen retinuit. Poſtquam autem Helvetii anguſtos fines ſe habere arbitrabantur, animum induxerunt, toto cum exercitu in Aquitaniam commigrare; Cæſar à Senatu impetravit, ut iter per Provinciam eis

eis intercluderet, atque ſic univerſam Galliam bello tentavit. Hæc cum præter variam experientiam & liberales diſciplinas à puero ſatis didiciſſet, ſitum moreſque Galliæ diligentius inquiſivit, certiuſque expoſuit. Hinc quæ antea uno nomine *Comatæ* indigitata fuerat, tunc in tres partes diſtinguebatur, Unam ab *Aquitanis*, alteram à *Belgis*, tertiam à *Celtis* lingua patria Romanis Gallis nominatis habitatam, & unicuique ex illis certi limites aſſignati habebantur. Auguſtus tandem rerum potitus, cum artibus liberalibus non minus excultus ac Cæſar eſſet, totumque orbem terrarum, hoc eſt, hoc hemiſphærium emenſus fuiſſet, Galliam in IV. partes diſtinxit, Provinciamque quod populo Romano ſubjecta, & à Cæſare omiſſa, adjunxit. Idem Aquitaniam adjectis aliquot opidis, quæ inter Garumnam & Ligerim jacerent, amplificavit: Tum Celticæ Galliæ & Provinciæ à nobiliſſimis illarum civitatibus Lugduno & Narbona, nova nomina impoſuit. Hinc à ſubſequentibus ſcriptoribus quatuor Galliæ partes, Aquitanica, Belgica, Lugdunenſis & Narbonenſis aſſignatæ: conſequentibus temporibus varias in provincias Gallia fuit diſtributa, quarum enumerationem hic prætergrediemur.

Nos quadrimembrem faciemus Galliæ diviſionem in Galliam nimirum Narbonenſem, Aquitanicam, Celticam & Belgicam.

Narbonenſis, alias Braccata, ab Occaſu Pyrenæis montibus contenta, ab Ortu Al-

pibus, à Septentrione Celticæ & Belgicæ parte, à Meridie mari Gallico includitur.

Regiones continet IV, Narbonenſem *propriè ſic dictam ſive* Languedoccam, Provinciam Delphinatum *&* Sabaudiam.

Languedocca, ſive Languedocia ad Occidentem habet Vaſceniam & Armeniacos, ad Septentrionem Cadurcos & Arvernos, ad Ortum partim Delphinatum, partim Provinciam Rhodano à ſe diſcretam, ad Meridiem ex parte mare Gallicum, ex parte Pyrenæos montes.

Inſigniores Languedociæ *civitates ſunt* Tholoſa, *ad Garumnam ubi Parlamentum & Academia:* Narbona *ad fluvium Atacem*, Carcaſſona, Monſpeſſulum, *ubi Academia*, Nemauſus *ſive* Niſmes, *inſignis ob antiquitates Romanas; præter has; ſunt* Aleth *ad radices Pyrenæi*, Beſiers *ad fluvium Orbam*, Pezenas, Agde *ad fluvium Erhaud.* S. Pons, Lodeve, Uſez, Pont du Gard, Beaucaire, Eaulne, Lavaur, Viviers, Nonnay, Pont S. Eſprit, Aigues mortes, Cazeres *ſuper Garumnam*, Rieux, Foxum *in Comitatu Foxenſi*, Pamiers, Saverdun, Maizieres, Mirepoix, S. Papoul, Caſtelnau d'Arri, Caſtres *ad amnem Gudum*, Albus *in Albigenſium provincia*, Mande, Queſac, Chirac, Le puy, Tournon, *le doux &c.*

Provincia *inter Languedocam ab Occidente, & è regione inter Pedemontanam regionem incluſa, à Septentrione, Delphinatum includit aut potius attingit, à Meridie verò tota eſt maritima.*

Ejus duplex eſt reſpectus & pars altera paret Regi Galliæ, altera non.

Quæ

Quæ non paret eſt 1. Comitatus Venuſinus *ubi* Avignon *ad Rhodanum, ſub Papa Romano, ubi Academia, vide meum* Ulyſſem Gallo-Belgicum, Cavaillon, Taraſcon, Carpentras, 2. *Principatus* Arauſionenſis, *ubi urbs & caſtrum* Orenge, *ibi Academia, hodie Celſiſſimo Arauſ. Princ. Guilielmo Fr. Henr. Fil. ſubjacens.*

Quæ regi Galliæ paret, habet civitates Aix, *ubi Parlamentum* Arles Maſſilia, *aliquot* 100 *annis ante Chriſtum natum exſtructa, ubi Academia. Reliqua minora municipia ſunt,* Digne, Graſſe, Glandeves, Senas *in Alpibus maritimis.* S. Paul de Vences, Apt. Rejus, Feriuls, Ciſteron, Antibo *ad mare* S. Maximini *oppidum &c.*

Delphinatus *eſt vel ſuperior vel inferior:*

Delphinatus ab Ortu partim Sabaudiam, partim Pedemontanam regionem, à Septentrione partim Breſſanenſem, partim Lugdunenſem ditionem habet contiguam. Delphinatus nomen habet à Caſtello Dolphin: & fuit ante natum Chriſtum ſub regno Allobrogum, pòſt Burgundionibus, deinceps Arelatenſibus paruit, à quibus ad Romanum imperium devolutus & Principatus titulo ornatus eſt. Tandem ultimus Princeps Humbertus, cum mœrore ex unici filii morte concepto in Dominicanorum monaſterium, quod Lugduni eſt, ſe conferret, anno 1349. Principatum, quadragies mille coronatis Gallicis vendidit, & tanquam feudum primogenito Galliæ Regis filio à Romano imperio habendum conceſſit: venditurus enim erat Pontifici, niſi nobili-

tas obſtitiſſet, quæ majores à Gallo ſuppetias contra frequentes Sabaudorum incurſiones ſibi pollicebatur. *Vide Vlyſſem meum ad Gratianopolin & alibi.*

Superioris, metropolis eſt Embrun *ad Alpes maritimas*, Valence *ad Rhodan.* ubi Academia. Die, Gap. S. Paul & Briançon.

Inferiori ſubeſt Gratianopolis, *ubi Parlamentum, ad Iſaram & Dracum flumina; non procul inde* magna Carthuſa, Vienna *ad Rhodan.* Romans, *ad Iſaram*, Montlimar, Mura, Creſt, S. Anthoine de Viennois, S. Valier de Coſte, le Moneſtier, Chaſteau Daulphin.

Sabaudia, *in parte paret Regi Galliæ, in parte Duci Sabaudo, in parte liberæ Reip. titulo gaudet.* Ab Ortu Alpibus, à Meridie tum Pedemontio, tum Delphinatu; ab Occidente & Delphinatu & Breſſanenſi ditione, à Septentrione Burgundiorum & Helvetiorum finibus includitur.

Quæ regi Galliæ paret, dicitur Sebuſianorum provincia, vulgò Breſſe, (hæc à Rege Henrico IV. anno 1601 Sabaudo erepta, & pro Saluziarum pricipatu deinde Immutata.

Metropolis eſt Bourg en Breſſe; *trans Rhodanum ſunt*, Seiſel, Daria, Chauſſe, Arlæpons, Chava, *Item præfectura* Gexenſis, *quæ omnia Gallo Sabaudus dare coactus eſt.* vide Thuan. lib. 125.

Quæ Sabaudo parent, ſunt Chambery, *ubi Parlamentum*, Tarantaſia, Mommelian *ad Iſaram*; Turris carbonaria, Aigue belle, S. Jean de Muriane.

Libero Optimatum imperio regitur Geneve, *inver-*

inverſis literis Vengee, *à qua titulum comitatus habet regio.* Nam multoties ab hoſtium injuriis & proditorum machinationibus cœlitus vindicata eſt, ac præſertim anno 1602. *vide Vlyſſem meum ad hanc urbem.*

Sequitur ſecunda pars Galliæ AQUITANICA.

Hæc à montibus Pyrenæis incipiens ad Ligerim uſque extenditur, dicta ab aquis, quod earum maxima ibi copia & frequens exundatio; cœlo verò tantùm pauculum pluvio ob lutoſam viam maxima ſit itineris incommoditas. Aliàs Aquitaniæ fines deſcribunt ab Occid. Oceanus Aquitanicus, à Sept. & Ortu Ligeris, à Merid. tum Pyrenæi montes, tum Narbonenſis Gallia.

Hujus regiones aliæ collocantur ad partem ſiniſtram, ſeu cis Garumnam fluvium; aliæ ad dextram, ſeu ultra Garumnam.

Cis Garumnam ſunt Provinciæ, Bearnia, Bigornia, Vaſconia, Guienna, *& quatuor Comitatus*, Comingia, Armeniacus, Foix *&* Albretanus:

Bearnia *eſt Navarr.* [illegible] *appendix, metropolis ejus eſt* Pau, *locus natalis Henrici IV. Gall. Regis, ubi Parlamentum,* Oleron, Lueſcar, Serrances, Orthes, *ubi Academia,* Morlas, Pontac, Codeich *&* Navarrina arx.

Hæc Regi Galliæ reſtant è regno Navarræo; cætera tenet Hiſpanus, ut ſuprà dictum. Homines dicuntur hic adeò vivaces, ut communiter centum quinquaginta annos vivant.

Bigorniæ *comitatus habet metropolin* Tar-

bam, Bayonnam *ad mare occiduum, nec procul inde* Fanum S. Joannis de Lutz. *Item* Daqs. *oppidum Archiepiſcop.* Baigueres, Lourde, Trie, Malbourget, *&c.*

Vaſconia *habet Provincias* Aginnenſem, *&* Condomenſem. *In illa ſunt*, Agin, *ad Garumnam*, Ville neufue, Clairac, Marmanda, Tonins, Caſtelmoron, Lemaſt, Ville franche, S. Foy.

In hac ſunt Condomum *ad fluv. Baiſe*, Valentia, Lairac.

Guiennæ *loca ſunt* Bourdeaux, *ubi Parlamentum & Academia*; Blaye, Liburnum, Bourg ſur mer, Condat, S. Macaire, Larmont, Carbonnieres, Carbon blanc, Fronſac, Bazas, S. Bazeille, la Reolle, Monſegur, S. Ferme, Caſtelmoru, Geronde, Sauveterre, *&c.*

Comitatus Comingiæ *dividitur in ſuperiorem. ubi oppidum Epiſcopale* S. Bertrand, Coſerans, S. Beat. S. Fregeou, Montegeau, Saliers: *& Inferiorem, ubi* Lombes, l'Iſle de Dodon, S. Matan; Muret, Riumes.

Armeniacus [illegible]*atus habet* Aux, *oppid. Archiepiſcopale*, Letour[illegible].

Foix *habet oppidum* Foix *ejuſdem nominis.*

Albretanus *Comitatus habet* Nerac.

Sequitur Aquitanica Gallia ultra Garumnam, quæ continetur novem Provinciis, quarum prima eſt Pictonia, *quæ in ſe habet provinciam propriè ſic dictam, &* Angoliſmenſem *Provinciam.*

Pictoniæ *urbes ſunt* Poictiers, *ad Clanum fl. ubi Academia*, Niort *ad Suram*, Fontenay *ad*

Van-

Vandelam, Luſignam, Montmorillon, la Baſſe marche, Dorat, S. Maixent, Sivray. *Ad eandem provinciam refertur Principatus* Talmon Chaſtelraud. *Item Vicecomitatus* Toüars *Tremoulliorum. Item Baronatus de* Mainlers, Partenay, Meſle, Chizay, Chavigny, Luſſac. Chaſteneraye, S. Meſmin, S. Gilles *&c.*

Angolismenſis *Provincia habet*, Angouleſme. Martou, Chaſteau neuf, Blaiſſe, Chabannes, Confeulant, Ruffec, Aigres, Courville, Rochefaucaut Marevil Lanſac, Villebois, Mombrun, *&* Bouteville *familiæ Mommoranciæ.*

2. *Eſt* Xantonia, *cum* Alneſia: *principale oppidum eſt* Xainctes *ad fluv. Carenton.* S. Jean d'Angely. Lorgaire, Archaut, Pōt Loubleze, Taillabourg Jarnac, Coignac, Barbeſieux, Joſac, Brouage. *Item* Royan Pons, Soubize.

Alneſiæ, Aulnis, *præcipua urbs eſt* la Rochelle, *à qua propè abeſt* l'Iſle de Re.

3. *Eſt* Perigorium, Perigord. *ubi oppida* Perigeux, Sarlat, Bergerac, Liberac, Nontron, Limeil, Biron, Branthomme, la Roche, Miraumont, la Linde, Limolium, Liburnum.

4. Quercium, *ubi* Cahors *ad fluv. Lot*, Montauban *ad Tarnum*, *ubi Academia*, Caſtel Sarazin, Montech, Moiſſac, Lauſerte, Soüillac *ad Dordonam*, Burelle, Nazareth, Gourdon, Martel.

5. *Eſt* Limoſinium, *quæ Regio dividitur in ſuperiorem & inferiorem. Superior habet Metropolim* Limoge *ad Vigennam fluv. Item oppida la* Soubterraine, le Boiſſon, Barat, Dorat,

Confoulant, S. Yrier la perche, S. Junien, S. Leonard *&* Chalus.

Inferior dicitur, cujus opida Tulle, Uſarcha *ad Vezeram flu.* Brive, Treignac, Donzenac, Allaſſac, Meiſſac, Uſſet, Beaumont.

6. *Eſt* Auvergne *cum Ducatu* Montpenſier. *Illa dividitur in ſuperiorem & inferiorem. Superior habet opida* S. Flour, Aurillac, Charlat, Murat. Billon. *Inferior, quæ dicitur* la Limague, *habet* Clarimont, Rion, Montferrant, Yſſoire *ad flu. Elaverum,* Brioude, Aigueperſe.

7. *Eſt* Berry, *cum Comitatibus* Sancerra S. Aignan *& Baronia* Montfaucon, *ſub hac ſunt* Baugy *&* Gron. *Provincia* Berry *habet opida* Bourges, *ubi Academia.* Iſſoudun (*ſub hujus præfectura ſunt* Chaſteau roux *ad Indrum* Argenton *ad Creuſom.* Chaſtres en Berry,) Dunle-roy, Vierzon, Mehun, Aubigny, Concreſſant, d'Angillon.

8. *Eſt* Salonia, *in qua Ducatus* Sully.

9. *Eſt* Borbonia, *quæ dividitur in ſuperiorem & inferiorem. Inferioris urbs eſt* Molins. Bourbon l'archambaut, Borbon l'ancy, Montmarant, Mont Luzon, Chancelle, Charroux, Verneul, Varennes, Genat. *Superior habet regionem* Combraille *in qua oppidum* Montagu.

Sequitur tertia pars Galliæ CELTICA, *cujus provinciæ ſunt*, Lugdunenſis, Foreſt, Beaujolois, Burgundia, Nivernia, Campania, Francia *ſpecialiter ſic dicta*, Belſia, Britannia, *&* Normannia.

Lugdunenſis *habet Vrbem* LYON, *& principatum* Dombes.

Foreſt

Foreſt *habet multa oppida & municipia; primarium eſt* Montbriſon, Feurs *ad Ligerim.* S. Eſtienne, S. Galmier, S. Germain Laval, S. Bonnet le chaſtel, Roanne *ad Liger.* S. Rambert: *in hac provincia eſt nobilis arx* d'Urfé. *alto monti impoſita, Item* Coſan.

Beaujolois *habet* Beaujeu.

Burgundia *eſt vel ſuperior, & dicitur Comitatus, qui paret Regi Hiſpan. habens* Dolam & Beſanzon: *vel inferior, & dicitur Ducatus, parens Regi Galliarum, cujus metropolis eſt* Dyon, *ubi parlamentum*, Autun, Chalon *ſur Saone*, Beaune, Auxerre, Maſcon *ad Ararim.*

Nivernia *habet* Nivers, Dezize, Clameſſy, Douzy, Milin, Angilberth, Corbigni.

Campania *eſt ſuperior & inferior: Superioris ſunt*, Vitry le François, Reims, Langres, Chalon, Laigny, *comitatus* la Brye *in quo* Chaſteau Thierry, Meaux, Provins. *Inferioris ſunt* Troye *ad Sequan.* Chaumont, Montigny, Vaſſy, S. Diſier, Joinville, Sens, Ivigny.

Francia *ſpecialiter ſic dicta habet* Lutetiam, *ubi parlamentum & Academia*, S. Denys, Poſſiacum, Senlis, Melun, Corbeil, Milly, Montargis.

Belſia *habet tres partes, ſuperiorem, mediam, & inferiorem. Superioris oppida ſunt* Angiers *ad flu. Meduanam, ubi Academia.* Saumur *ad Ligerim*, Montreneau, Bauge, la Fleſche. Segre. *&c. Ad hunc Ducatum Andevagenſem pertinent*, Mans, vendoſme, Chartres & Dreux.

Mediæ Belſiæ urbes ſunt, Blois, Tours, Caſtellio *ad fluv. Indre*, Amboiſe, Chaumont,

Cormery, Loches *ad flu. Indre*, Paulmy, Chinon *ad Vigennam*, Champigny, Loudun, Chaſteau-dun, Ancy le Franc.

Inferior Belſia habet Orleans, *ubi Academia*, Eſtampe, Remorantin, Gergeau, la Ferté, Clery, S. Laurent.

Britannia alia eſt ſuperior, alia inferior.

Superioris urbes ſint, Nantes *ad Ligerim*; Condal, Rennes *ubi Parlamentum*, Doul, S. Brieu, S. Malo, Dinan, Rieulx, Chaſteau Briant, Lambal, Vitray, Jugon, S. Aubin du Cormier, Montcontour, Plorel, Jocelin, Maleſtroit, Pontigny. S. Julieno Encenis.

Inferioris urbes ſunt Vannes, *Item* Inſula belle Iſle, Annebout, Quimperle, Quimpercorantin, Breſt, *promontorium* S. Matthè. *Inſula* Oeſſant *&* Sayn, *oppida* S. Paul, *&* Trigues.

Normandia *dividitur in ſuperiorem & inferiorem. Superior habet* Roüen, *ubi Parlamentum*, Auranches *ad mare*, Harcourt, Eureux, Vernon Tancarville, Maievrier, Mortain. Montgommery, *quibus additur* Vexin le Normand, *in quo* Giſortium *Baronatus* l'Aigle, Paſſey, Jurey, Tuillieres, Conches, Breteuil, Rugles, Bruin, Hermeinville, Bajeux *inſignis Epiſcopatus, ad quem refertur* Caën *ubi Academia*, Seez Alençon.

Inferior habet Diepam, Harfleu, Havre de grace, Conſtances, Valoigne, Cheriburgum, *regnum* Ivetot, Falaiſe, Gibræum.

Quarta pars Galliæ eſt BELGICA, *ſeu* PICARDIA, *in qua ſunt Ducatus & Comitatus.*

Ducatus ſunt duo, 1 Tierarche; *in quo* Guiſa & Vervin.

2. Laon, *continens Comitatus & urbes.*

Comitatus ſunt Soiſſon, Noyon, S. Quentin.

Urbes ſunt Peronne *ad Somonam*, Corbie, Roye, Mondidier, Neſle, Ribemont, Coucy, Chauny.

Comitatus ſunt ſequentes, 1. Ambianenſis, *in quo* Amiens, *ad Somonam.*

2. Ponthieu, *in quo* Abbeville, Dourlens. Crotoy, Pecquigny, Auri, Crequi, Rue, Monſtrueil, Renty, Heſdin.

3. Bolonienſis, *in quo* Boulongne, S. Paul, *& portus* le portet: *præterea* Eſtaples *ad mare*, S. Riquiar, la Chapelle, Fren, Neufchaſtel, Pont de Brique, le mont S. Eſtienne.

4. *Comit:* Guynes, *in quo fortalitia* Guiſnes, Blanes, *& oppida.* S. Inglevert, Harincourt, Penplinge, Conquelle, *portus* Nivellet: *Huic Comitatui tres adnumerantur Baroniæ*, Ardres, Courtembrone & Fiennenſis.

5. *Comit. dicitur* d'Oye, *in quo* Calais, *ubi le fort* Risbank, *Item oppidum* d'Oye.

6. *Comit.* Retelois, *ubi* Rethel.

His finitur Regni Galliæ diviſio, cui pro coronide adjicio tria ſub Henrico II. Gall. Rege acquiſita loca, *Mets* & *Toul* ad Moſellam, *Verdun* ad Moſam.

Tantum de Continente Galliæ, *Contentum* eſt ipſa GENS Galliæ, quam hic deſcribere non eſt noſtri inſtituti, ut ſupra diximus; placeat ſuo Marte cuilibet illam ex hiſtoriis & obſervationibus ocularibus adponere: pergamus hinc ad Germanos.

CAP. IV.

DE GERMANIA.

GErmania eſt vel ſuperior, vel inferior. Superior conſiſtit in X Imperii Circulis, & aliis regionibus extra illos Circulos.

Germania à Septentrione mari Suevico, Balthicoque & Dania; ab Ortu Sarmatiâ Europæa & Ungariâ; à Meridie Italiâ & Sabaudiâ; ab Occaſu, Belgio & parte Galliæ clauditur. Alias poſſunt provinciæ Germaniæ in VI claſſes diſtribui, quarum I. continet maritimas regiones inter Boruſſiam ac Hollandiam ſitas, quæ ſunt Pomerania, Megapolis, Holſatia, Dithmarſia, Friſia, & Belgium: (debebat ad hanc primam claſſem referri Boruſſia, Carlandia & Livonia, ſed hæ à naturali quaſi trunco imperii Romani avulſæ in alienam Sarmatiæ & Suediæ arborem ſunt inſertæ) II. Complectitur VVeſtphaliam, Saxoniam, & Marchiam. III. Haſſiam, Thuringiam, Miſniam, Luſatiam & Sileſiam. IV. Comprehendit Trevirenſem Epiſcopatum, Rheni Palatinatum, Franconiam, Bohemiam & Moraviam. V. Alſatiam, Sueviam, Bavariam & Auſtriam. VI. Helvetiam, Tyrolenſem Comitatum, Carniolam, Carinthiam & Stiriam. Hæc diſtinctio petita eſt ab eo ordine, quo ſe invicem provinciæ Germanicæ, ratione longitudinis mutuò ſequuntur: Verum nos partim in honorem Romani imperii, quod Circulis X ſuam Juriſdictionem incluſit, &

hoc

hoc modo in Matriculam imperii repoſuit, partim ob commodam demonſtrationem eorum, qui Romano imperio hodiè exemti ſunt, hanc diviſionem in Circulos amplecti voluimus, præmiſsâ diſtinctione Germaniæ in Superiorem & Inferiorem; quibus excuſſis reſtabunt qui extra circulos ſunt, & tamen in Germania habitant.

Circuli Germaniæ decem numerantur, & ſunt hi ſequentes; 1, Franconiæ. 2, Bavariæ. 3, Auſtriæ. 4, Sueviæ. 5, Rheni *ſive* Alſatiæ. 6, *eſt* IV Electorum Rheni. 7, VVeſtphaliæ. 8, Saxoniæ ſuperioris. 9, Saxoniæ inferioris. 10, Burgundiæ.

I. Circulus Franconiæ, *ſive* Franciæ Orientalis *habet in ſe primò* Epiſcopos, *qui ſunt* Bambergenſis, Herbipolenſis, *cujus provincia obtinet Ducatus titulum. &* Eichſtedtenſis, *his adnumeratur* magiſter ordinis Teutonici. *Secundo*, Principes *imperii, qui ſunt* Marchiones Brandeburgici *lineæ* Onolsbacenſis & Culmbacenſis, *inſignes titulo Burggraviatûs Noribergenſis, &* Duces Saxoniæ Coburgenſes. *Tertiò*, Comites *&* Barones: *hi ſunt* Barones Limpurgici, die Schencken von Limpurg: *Illi ſunt Comites* Hennebergici (*qui hodie ſunt Duces Saxoniæ ubi eminet* Sleuſinga) Schvvartzenburgici, Hohenloënſis, Erpachenſis, VVertheimenſis, Reineccenſis, *&* Caſtellenſis. *Quartò* Civitates liberæ, Norimberga, Rotenburga ad Tubarim, VVinsheimium, Schvvinfurtum.

II. *Circulus eſt* Bavariæ, *in quo ſunt*:

1. *Archiepiſcopus* Saltzburgenſis, *Epiſcopi* Paſſa

Paſſavienſis, Ratisbonenſis *&* Friſingenſis. *His adnumerantur Abbates* zu Kempten, VValdtſachſen, Redt, Kayſersheym, S. Heymeran, *&* *Præpoſitus* zu Berchthelſgaden.

2. Duces Bavariæ, *cujus territorium dividitur in Bavariam ſuperiorem, ubi* Ingolſtadium *&* Monachium; *&* *inferiorem, ubi* Straubinga *&* Landshutum. *Huic Ducatui adnumeratur Palatinatus ſuperior, ubi* Amberga, Neoforum, Reeza, VValdtmünchen, *&* Neoburgum *ad Danubium. Item Landgraviatus* Leuthenbergius, *cujus ſedes* Pfreimbt.

3. *Comites* Ortenburgici, *&* *Barones* zu Staufen, Reinfels, Deggenberg, VVolfſtein, zu obern Sultzberg.

4. *Civitates*, Ratisbona, *&* Freiſtadium Sueviæ.

III. *Circulus eſt* Auſtriæ.

Formula obligationis Cæſareæ ex Receſſibus imperii anno 1522 talis eſt: Nemlich/ wir ſollen mit unſerm lieben bruder Ertzhertzog Ferdinanden *&c.* mit unſern Erblanden zu Oſterreich und Tirol *&c.* einen Kreyß haben.

In hoc Circulo 1. *ſunt Epiſcopi ſex: nimirum* Tridentinus, Brixienſis, Cörcenſis, Seccavienſis, Labacenſis *&* Viennenſis. *His adnumerantur* die Land-Commendür in Oſterreich und an der Etsh im gebirge.

2. *Unus Archiducatus*, Auſtria *nimir. quæ vel ſuperior, ubi* Lintz *&* VVelſs: *vel inferior. ubi* Vienna, Crembſz *&* Nevvſtadt, &c.

3. *Tres Ducatus*, 1. Styria, *quæ & ipſa ſuperior, ubi* Pruck an der maur; *&* *inferior, ubi*

Grätz

Grätz *caput provinciæ & ſedes Archiducum: Item* Caniſia, *à Turcis erepta, & adhuc occupata.*

2. Carinthia, *ſive* Kerndten, *ubi* Villach, Clagenfurt, *Ducum quondam ſedes*, S. Veit, *&* Judenburg.

3. Carnia *ſive* Carniola, Crain, *ubi* Labach *caput Ducatus*, Crainburg *&* Cilly.

His adnumeratur *Croatia* & *Vinidorum Marchia*, die VVindeſche Marck *ubi Seiſſenberg*, incolæ ſunt Slavonici & Germanici ſanguinis & linguæ.

4. *Vnus Comitatus* Tyrolenſis, *in quo* Oenipons, Inſpruck, *Archiducum ſedes*, Tridentum, *Botzen*, *Brixen.* Huic Comitatui adnumerantur die Grafen von *Sehënberg* im land ander Enß / die von *Hardeck*, *Welckenſtein*, *Loſenſtein*, *Regendorff.*

IV. *Circulus eſt* SUEVIAE, *in quo* I. *tres Epiſcopi*, Auguſtanus, Conſtantienſis *&* Curienſis, *Augſpurg*, *Coſtnitz* und *Chur.*

His adnumerantur XXIX Abbates, VI. Abbatiſſæ, & I. Commendatura. Abbates ſunt *Cempten*, *Reichenaw*, *S. Gallen*, *Salmansweiler*, *Weingarten*, *Weiſſenaw*, *S. Blaſii*, *S. Peter* im *Schwartzwaldt*, *Maulbrun*, *Schaffhauſen*, *Stein* am *Rhein*, *Petershauſen*, *Creutzlingen*, *Einſiedel*, *Pfeffers*, *Dieſſen*, *S. Iohannis* im *Thurthal*, *Schüſſenriedt*, *Rockenburg*, *Ochſenhauſen*, *Königsbrun*, *Margthal*, *Elchnigen*, *Iſſuc*, *Munchreth*, *Auſpurg*, *Hirſaw*, *Gengenbach*, *Schüttern*; his adjicitur, der Propſt zu *Elwangen.* Abbatiſſæ ſunt: *Lindaw*, *Rethmunſter*, *Buchaw*, *Luttenzell*, *Brunde*, *Hegebach.*

Com-

Commendatura eſt in *Alſatia* & *Burgundia.*

II. *Duo Principatus , nimirum* Ducatus VVirtembergicus , *ubi* Studtgardt *Ducum ſedes* , Tubingen , Haidenheim , Conſtatt, Scherrendorf, Aurach *&c.* & Marchionatus Badenſis, *ubi urbes* Baden, Pfertzhaim, Durlach, *ſedes Marchionum.*

III. *Sedecim Comitatus, nimirùm*, Helfenſtein , VVirtenberg , Otingen , Lauffen, Mentfort, Fürſtenberg, Eberſtein, Hohenzollern , Sultz , Lövvenſtein , Tübingen, Kirchberg , Brandiſz , Zimmern , Tingen, Sonnenberg.

IV. *Novem Baronatus* , Juſtnigen , Gundelſingen, Dieſſen, Truchſeſſen von VValdtpurg , Staufen , Falckenſtein , Königseck, Geroltzeck, Hoſenhovven.

V. *Civitates liberæ ; numero* XXXV : Augſpurgk , Kauffbeuren , Ulm , (*domina trium Comitatuum*) Memmingen , Kempten , Bibrach, Leuttkirch, Yſſuc, VVangen, Lindavv, Ravenſpurgk, Buchorn, Uberlingen, Coſtnitz, Pfullendorf, S. Gall, Schafhauſen, Reutlingen , Eſlingenn , Gemündt, VVeill, Heilbrun , VVimpfen , Hall in Schvvaben, Dinckelſpühl , Bopſingen , Gengen , Alen, Nörlingen , Donavverd, Buchauvv, Offenburgk, Elzengenbach, Zell im Hamersbach, Rottvveil.

V. *Circulus eſt* RHENI , *ſive* ALSATIAE, *in quo* I. *undecim Epiſcopi*: VVormbs, Speyer. Straſzburg , Baſel, Biſantz, VVallis, Genff, Loſanna, Metz, Thul, Verdun, ex his primi

tres

tres hodie Romano Imperio ſubjacent, reliquis ad Helvetios & Gallos tranſlatis. *His adnumerantur 5 Abbates*, Fuldenſis *in Buchovia*, Hirſchfeldenſis, Mürbacenſis. *Item* Münſter in S. Gregorienthal, Pfrindt. *Item duo Præpoſiti*, VVeiſſenburg vnd Edenheim.

II. *Principatus, qui ſunt quinque:* 1. Landtgraviatus Alſatiæ *ſuper: ubi oppida* Rufach *&* Schletſtadt, *quo cum cohæret* Briſgovia, *ubi oppida*, Friburg *&* Briſach. *Item* Sundgovia, *ubi* Pfirt, *&* Altkirch. (*Alſatia alioquin dividitur in ſuperiorem, ubi* Rubeaqua, Colmaria, Cæſaremontum *&* Schletſtadium, *& inferiorem, ubi* Argentoratum, Hagenoa, VVeiſſenburgum, Tabernæ, Benfeldtum, Dachſteinium, Molsheimium.) *Secundus Principatus eſt* Ducatus Lotharingiæ *Septentrionalis & Meridionalis, ubi* Nancy *Ducum ſedes*, S. Nicolas, Bayon, Vaudemont *&c. Tertius Principatus eſt* Ducatus Sabaudiæ. *Quartus Principatus eſt* Ducatus & Palatinatus Bipontinus, *ubi* Zvveybrucken, Meiſenheim, Bergzabern; *cum hoc cohæret Palatinatus*, Sponheymenſis *&* Veldenz. *Quintus Principat. eſt* Landgraviatus Haſſiæ, *tam ſuperioris, quàm inferioris, ubi* Caſſel *ſedes Landgraviorum*, Marpurgum *&* Gieſſa: *ad hos referuntur Comitatus* Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain, Nidda.

III. *Circuli partem faciunt Comites, qui ſunt*, die in der VVetteravv, Naſſavv, Sarbrucken vnd VVeiſsbaden, Solms, Hanavv, Lichtenbergk, Muntzenberg, vnd Bitſchen, Iſenburgk zu Budingen, alle Rheingraffen, Salm, Mar-

Merſzpurg, Leiningen, Falckenſtein, VVitgenſtein, VValdeck, Rapelzkirchen, Kriechnigen, Befort, Rapoltſtein, Hohenrechberg, Itzſtein, Mynſingen, Blanckenberg.

IV. *Circuli partem faciunt Civitates Imperiales*, Mülhauſen in Elſaſs, Colmar, Keyſersberg, Turckheim, Munſter in S. Gregorienthal, Ebernehenheim, Straſzburg, Roſzheim, Schletſtadt, Hagenavv, VVeiſſenburg, Landavv, Speyer, VVormbs, Franckfurt am Meyn, Friedberg in der VVetteravv, Gelnhauſsen, VVetzlar.

Olim his annumerabantur, *Genff, Loſanne, Baſel, Metz, Thul, Verdun, Kaufmans Sarbruck, Biſantz*; Verùm hæc hodiè Circulo ſe exemêre, ut ſupra dictum eſt.

VI. *Circulus eſt* IV ELECTORUM ad Rhenum, *in quo ſunt* 1. *tres Electores* Eccleſiaſtici, *nimirum* Moguntinus, *cui ſubſunt* Mentz & Bingen; Trevirenſis, *quò* Trier & Coblentz. Colonienſis, *ubi* Andernach & Bonna. His adnumeratur *Commendatura Confluentiæ, Abbatia S. Maximini, & Præpoſitura Selzenſis.*

2. *Elector* ſæcularis Palatinus Rheni, *ubi* Heidelberga, *ſedes Electoralis*, Manheimium, Neoſtadium, Francodalium, Altzena, Oppenheimium, Baccharacum &c.

3. *Comites*, Naſſavv Dillenberg und Beilſtein, Nevvenavv, Reifersheidt, Reineck.

4. *Civitates*, Colonia ad Rhenum & Niedervveiſſenburgk.

VII. *Circulus eſt* VVESTPHALIAE, *in quo ſunt* 1. *Epiſcopatus* Leodicenſis, Paderbornenſis, Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, Verdenſis & Mindenſis.

His

His adjiciuntur Abbates, *Andernach* & *Corbey*, Item Abbatiſſæ, *Hervorden* & *Eſſen.*

2. *Principatus, nim.* 1. JULIAE, *ubi oppida* Gülich *&* Düren; 2. CLIVIAE, *ubi* VVeſel, Emmerich, Reeſz, Cleve. 3. BERGAE, *ubi* Düſſeldorp *&* Duisburg.

3. *Comitatus*, Marcke, Friſiæ Orientalis, *ſive* Emdanus, Lippienſis, Schaumburgenſis Bentheimenſis *&* Steinfurt, Oldenburgenſis, Mórs, Manderſcheidt, Sain, VVeide cum Runckel, Yſenberg, Brunckhorſt, Ridberg, Hoya, Arnberg, Spiegelberg &c,

4. *Civitates liberæ*, Aquiſgranum, Duisborch, Dormund, Soſt, Herford, Lemgovv, VVartburg.

VIII. *Circulus Imperii dicitur* Saxoniæ ſuperioris, *in quo* 1. *Septem Epiſcopi*, Miſnenſis, Martisburgenſis, Naumburgenſis, Brandenburgenſis, Havelburgenſis, Libuſenſis *&* Caminenſis.

His adnumerantur tres Abbates, zu *Salfeldt*, *Petershauſſen* & *Walckenriedt.* Duæ item Abbatiſſæ, *Quedlinburg* & *Geringerode.*

2. *Principes ſeculares*, 1. SAXONIAE, *ubi reſpectu Saxoniæ ſunt* VVittenberg *&* Torgavv; *Reſpectu Thuringiæ*, Erfurdt, VVeimar *Ducum ſedes*, Iſenacum, *Ducum, ſedes*, Jena *&* Gotha, *ad Thuringiam refertur Comitatus* Mansfeldicus, *in quo* Iſlebium. *Miſniæ cum Voigtlandia*, Lipſia *&* Dreſda. *Elect. Sax. ſedes.* Miſena, Torga, Freiberga, Naumburgum, Martisburgum, Voigtlandiæ *oppida*, *ſunt* Plava, Curia, Olſnicium. 2. MARCHIAE BRANDEBURGENSIS, *quæ dividitur in* Veterem mediam, novam, *&* Ukeram. Ve-

Veteris caput eſt, Stendaliũ,*reliqua ſunt,* Tangermond, Soltvvedel, Garleben, Eſterburg, VVerben, Sehnhauſen, Arnburg, Biſmarck, Kalbe, Boſter, Buck*&c. Mediæ caput eſt,* Brandeburg, *reliqua ſunt,* Ratenavv, Spandavv, Berlin *&* Cöln *Suevo fluvio ſeparata,* Franckfurt ad Oderam; Trevven, Brietzen, Bernavv, Belitz, Bellin, Munchberg, Freyenvvaldt *&c.*

Novæ caput eſt, Cuſtrin; *reliqua ſunt* Landsberg, Königsberg, Berrvvalde, Bernſtein, Berlinchen, Arnſsvvalde, Tham, Soldin, Fürſtenfeldt, Bramburg, Drieſen, Falckenberg, Kartavv, Lepen, Morin, Schiefelbein, Schonflieſſ *&c.*

Ukera *habet oppida,* Prenzlavv, Templin, Stratzborch, Lichem, Fürſtenbergk *&c.*

His adnumerantur provinciæ; 1. PRIGNITZ, *in qua* Havelberg, Rapin, Perleberg, VVitſtock, Prützvvalck, Dalmin: *&c.*

2. STERNBERG, *in qua* Sternberg, Reiptzigk, Droſſen, Königsvvalde.

3. POMERANIAE, (hujus Duces eſſe deſiêre) *in qua* Stetinum, Grypſvvaldum, VVolgaſt, Stralſunda, Bart, VVollin, Treptavv, Anclam, Stargard, Nevvgarten, Golnavv, Camin, Colberg, Coſlin, Stolpe, *&c. His adjiciuntur,* Caſſubia, *in qua* Lavvenburg, *& Inſulæ binæ,* Rugia *&* Uſedom.

4. *Principes* ANHALDINI, *ſub quibus eſt* Deſſavv, *Principum ſedes,* Serveſta.

Tertiam Circuli partem faciunt Comites, *qui ſunt* Schvvartzburg, Mansfeldt, Stolberg, Hohnſtein, Beuchlingen, Rappin, Barby *&* Mulingen, Gleichen, Gleiſneck, VVildenfels.

Quar-

Quartem Circuli partem conſtituunt Barones, *qui ſunt* Plavven, Geravv, Gretz, Schönburg, Tautenburg.

Civitates *Gedanum* & *Elbinga* in Boruſſia olim quintam fecerunt partem, ſed cum hodiè ſint imperio Germanico exemptæ, heic omittendæ.

IX. *Circulus eſt* SAXONIAE inferioris, *in quo ſunt* 1. *duo Archiepiſcopi*, Magdeburggenſis *&* Bremenſis, *quibus adnumerantur* IV *Epiſcopi*, Hildesheimenſis, Lubecenſis, Suerinenſis, *&* Ratzeburgenſis.

11. *Principes Sæculares, inter quos* 1. *eſt* Rex Daniæ *reſpectu ditionum ad Imperium pertinentium*. 2. Ducas Sleſvvicenſes & Holſatiæ: *qui præter Holſatiam ſub ſe habent* Stormariam *&* Dithmarſiam, *cum* VVagria. Hæ provinciæ tam Regi Daniæ quàm Ducibus parent. Præcipua urbs eſt *Hamburgum*, quæ cum Ducatu Holſatiæ, cui in & adhæret, antiquitùs ab Imperatore & Imperio, Duci Holſatiæ in feudum data eſt, cui & præſtat homagium, ita ut quidquid in contrarium Hamburgenſes hodiè ferant, hic non habeat locum, cum urbs ſit municipalis ſive provincialis ſimpliciter & omni jure ſubjecta ſupremo territorii Domino, contra cujus voluntatem ſe eximere non poteſt; nam qui habet totum, etiam partes omnes habet, cum in toto & pars contineatur *l.* 113 *de Reg. Iur.* præterea cum Hamburgenſes ratione homagii & jurisdictionis pareant Regi Daniæ & Ducib. Holſatiæ, abſque eorum conſenſu ad alium ſe transferre non poſſunt

ex

ex lib. II. *de Reg.* 1. etiamſi habeant quaſdam libertates & privilegia ab aula Imperatoris; gaudeant illis, ſed non in præjudicium aut diminutionem hæreditarii & proprietarii ſui domini, niſi crimen feloniæ committere velint, præſertim cum inſcio & invito Domino mediis illicitis ſe alienare tentent ab ordinario ſubjectionis titulo. Sed de his hic non locus; Optem conſiderent, Holſatico imperio ſe immediatè eſſe ſubjectos, & poſthabitis novis ſuis opinionibus antiquâ fide debitâque obedientiâ impoſterum ſe ei ſubmittant, meminerintque ſe cum Regibus & Ducibus, qui leges dant, & non parentes punire poſſunt, non cum civibus rem habere.

Præter Hamburgum *eſt* Gluckſtadium *muntiſſimus locus*, Sleſvvyck *cum Ducum ſede* Gottorpio, Chilonium, Flensburgum, Rensburgum, Haderſlebium, Segeberga, Itzehoa, Crempa, Ecklenford, Meldorp, Huſem, Schvvenzen, Ploene, Oyting *&c.*

3. Duces Lavvenburgici, *ubi* Lavvenburg *Ducum ſedes*, Beutzenburg, Ratzenburg.

4. *Duc.* Brunſvvicenſes *ubi* Brunſvvicum, VVolfenbüttel *Ducum ſedes*, Helmſtadt, Halberſtadt, Hildesheim, Quedl inburg, Hannover, *&c.*

5. *Duc.* Luneburgici, *cum Principatu* Grubenhagen *&* Eisfeldt. *Item Comitatu* Dannenberg; *ubi* Cella *Ducum ſedes*, Luneburg, Ultzen, Gifhorn.

6. *Duc.* Megapolitani, *ubi* VViſmar, Roſtochium. Guſtrau *&* Schvverin, *Ducum ſedes.*

Ter-

Tertiam Circuli partem *conſtituunt comites in* Delmenhorſt.

Quartam *faciunt* urbes Imperiales, Lubeca, Mülhauſen *in Thuringia*, Northauſen, Goſlaria Gottinga.

X. Circulus *eſt* BURGUNDICUS.

Olim hic habuit *Ducem Burgundiæ*, & *Comites Naſſaw* in *Breda*, *Egmont*, *Horn*, *Yſelſtein*, *Berg*: Hodiè nihil præter comitatum habet, diviſum in tres partes, in ſuperiorem, ubi *Gray* & *Veſoul*. Inferiorem, ubi *Artois* & *Salins*, & *Dolonam*, ubi *Dola*, cui adjacet comitatus *Montbelgardenſis*, & urbs *Beſanzon*, quæ tamen etiam Circulo ademta eſt.

Ita fuère X Imperii Germanici circuli; ſequuntur regiones extra illos, quæ ſunt BOHEMIA *&* HELVETIA.

Bohemia, *vel in ſe, vel cum fœderatis provinciis conſideratur.*

Euphor. in Icon. Anim. c. 5. inquit, Bohemia, quanquam in Germaniæ ſinu, tamen ab ipſius corpore exſecta eſt linguâ, moribus, legibuſque diverſis. Id ſi unquam verum, certè nunc eſt; nam durante hoc bello, quod cœpit anno 1618, aliæ linguæ, gentes, mores, & leges in Bohemiam ſunt introductæ, Comitatus & Baronatus ad Hiſpanos & Italos tranſlati antiquis heris ſuis in exilium aut mortem deditis.

Bohemia *in ſe regni titulum habet, montibus & ſylvis circumcirca cincta, à Carolo IV in duodecim regiones diviſa.* Omnium caput eſt *Praga* ad Muldaviam fluv. Regum ſedes eſt, in montoſa arce *Retſchin*: urbs ipſa triplex eſt,

Vetus, *nova*, & *parva*, nuperis his annis diverſos dominos & variam fortunam ſortita & experta. Reliqua opida ſunt *Pilſen*, *Carlſtein*, ubi corona & ornamenta Regis, *Königin Grätz*, *Kuttenberg*, *Ozaſla*, ubi Iohannis Ciskæ ſepulcrum, *Thabor*, *Budweiß*, *Egra*, *Leutmeritz*, *Limburg*, *Laun*, *Schlan*, *Satz*, *Commetavv*, *Carlsbad*.

Fœderatæ provinciæ ſunt, Moravia, Sileſia, Luſatia.

MORAVIA *titulum Marchionatus habet, cujus caput eſt* Brinna *ad Zvvittam fluv. urbs Epiſcopalis*; *proxima huic eſt* Olmütz, Znaim *ad Taiſam*, Cremſier, Iglavv, Kromavv, Tirnavv, Niclasburg, VViſcha, Auſterlitz, Meſeritſch, *&c.*

SILESIA *in ſuperiorem & inferiorem dividitur, habetque* XVII Principatus, I. Comitatum & 4. dominia.

1. *Principatus eſt* Vratiſlavia, *urbes habens* Breſslavv, Nevvmarck, Namſlavv, Liſſa.

2. Schvveidnitz, *ſub quo ſunt urbes*, Schvveidnitz, Strigavv, Reichenbach, Pelckenhayn, Landshut, Freyberg, Zobten, Friedberg, Friedland, VValdberg, Gottsberg, Luben, Iohansberg.

3. *Iaur.* Hic Principatus & *Schweidnitz* ſunt deſtinata primogenito Regis Bohemiæ filio.

Sub quo ſunt Iaur, Lemberg, Buntzlavv, Schönavv, Greiffenberg, Lahn, Friedberg, Lubenthal, Schmiedeberg, Naumburgam Queiſſ, Kupperberg, Hirshbergk.

4. *Principat. eſt* Glogovienſis, *ſub quo ſunt*, Groſſ-

Groſſ-Glogavv, Freyſtadt, Guhravv, Sprottavv, Grunberg, Schvvibuſſen, Pelekvvitz, Beuten, Schlavva, VVartenberg, Nevvſtadt, Primkavv, Riben.

5. *Pr.* Saganus, *in quo* Sagen, Prebus, Namburgk, Freyvvald.

6. Troppavienſis, *ſub quo* Troppavv, Laſſla, Oder, Kranovvitz, Holtshin, VVagſtadt, Künſsberg, VVigſtadt, Nevvkirchen, Freudenthal.

7. Oppeln, *in quo* Oppeln, klein-Glogavv, Koſel, Beiten, Gleikitz, Teſt, Neuſtadt, Groſſ Strelitz, Falckenberg, Eltz, Roſenbergk, Lublnitz, Schirgaſt, Krapitsh, VVeiſſ-Krotgham, Leſſnitz, Gorreba. Dabradni, Steinavv, Friedland, Klein Strelitz, Groſſmuck.

8. Ratibor, *ubi* Ratibor, Oderberg, Sara, Ribenck, Pillavvitz.

9. Teſchen, *ubi* Teſchen, Freyſtadt, Bielitz, Fredeck, Schkezavv, Strumen, Miſchkavv, Iablunka.

10. Neiſſa & Grotka, *ſub quibus ſunt* Neiſſ, Grotka, Otmarshavv, Patshka, Iauernick, VVeida, Ziegenholtz, VVanſen, Zuckmantel, Freyvvalde, Oyzieſt, Hozeplotz.

11. Princ. Lignicenſis, *ubi* Lignitz, Goldberg, Hayn, Lüben, Parohvvitz, Grotzberg, Nicklſtadt, VValſtadt.

12. Briegenſis, *ſub quo* Brieg, Ohlavv, VVohlavv, Streben, Steina, Rauden, VVintzigk, Herrnſtadt, Pitshin, Creutzberg, Nimbtsh.

13. Munſterberg & Franckenſtein, *ſub*

quibus, Franckenſtein, Münſterberg, Reichſtein, VVarte, Silberbergk.

14. Olſſenſis, *ſub quo* Olſſ, Trebnitz, Strupen, Feſtenberg.

15. Bernſtadenſis, *ubi* Bernſtadt, Khienſtadt.

16. Iãgerndorfenſis, *ubi* Iãgerndorff, Lubſchütz, Beutshen, Tarnovvitz, Ederberg, Zanditz, Boberavv.

17. Croſſenſis, *ubi* Croſſen, Zollich, Bobersberg, *& dominium* Sommerfeldt.

Hos XVII *Principatus, adjicitur*, comitatus Glacenſis.

Dominia *ſunt* IV, 1. Pleſſenſis, *ubi* Pleſs, Mikolavv, Berohn, Miſchlovvitz.

2. VVartenbergenſis, *ubi* VVartenberg & Brallin.

3. Militzenſis, *ubi* Militſch, Freyhan, Zuauf.

4. Trachenberg, *ubi* Trachenberg & Prauſſnitz.

Reſtat LUSATIA, *quæ eſt ſuperior & inferior. Superior habet ſex civitates.*

Bautzen, Górlitz, Sittavv, Camitz, Lauben, Liebe; *de quibus hoc effatum:* Bautzen die gröſſeſte / Görlitz die ſchönſte / Sittavv die reicheſte / Camitz die feſteſte / Lauben die kleinſte / Liebe die ältеſte.

Inferior habet Soram, Cotbus, Spremberg: *Hucuſque de Bohemia & ei ſubjectis provinciis: ſequitur* HELVETIA, *cui confines adjicio,* Rhœtiam & Valleſiam.

Helvetia, *quæ &* Svvizia *dicitur, diviſa eſt in* XIII *pagos, quos* Cantons *vocant*, die 13

örther;

dither; *His adjicio duo confines provincias*, Rhœtiam *&* Valleſiam. *Pagi illi, hodiè ſunt civitates opulentæ & potentes, diverſæ tamen religionis; nam* Reformatæ *ſunt addicti hi* 4. Berna, *potentiſſima juriſdictionem habens penè* XXX *milliar. à Geneva ad Baſileam penè*; Tigurum (*Zurich*,) Baſilea, Schaff-hauſen. *Reliquæ ſunt* pontificiæ, *veluti* Lucerna, Friburgum, Solothurn, Zurg, Uri, Untervvalden, Schvvitz: *at verò utraque religione mixti ſunt* Glaris *&* Appenzell: *His adnectitur* Badena, *ubi ſedes eſt conventuum & Comitiorum Helvet*:

Rhœtia, cujus incolæ dicuntur *Griſones* die Grawbündter / *in tria fœdera ſive Societates*, in drey bundt / *eſt diviſa, nimirum in* Foedus antiquum, Domus Dei, & decem judiciorum: *metropolis eſt* Curia, Chur / *poſtea*, Majenfeldt, *&* Ilantz. *Comitatus ei parent* Clavenna *&* Vallis Telina: *in illa ſunt* Chiavenna; *in hac* Tirano *&* Morbengo, *itemque* Bormio *Comitatus*.

VALLESIA, das VVallis, *nomen habet à Vallibus*, *& dividitur in ſuperiorem & inferiorem*.

Superior complectitur VII Deſenas *ſive Diœceſes*, *quas illi* Zähnden *vocant*; *ſunt in ea* Sedunum, Sitten, *ſedes Epiſcopi*, Naters, Syder, Leuck, Raren, Viſp, Brig, Gombs *&c. utunturque linguâ Germanicâ*.

Inferior, *habet* ſex communitates, *quas illi vocant vexilla ſeu baneria*, *nempe* Gundis, Ardon, Sallien, Martinacht, Intremont, S. Mauritz, *utunturque lingua Gallicâ & Sabaudicâ*; *Gens alias libera tota*.

Hucuſque Germania Superior *fuit: Inferior dicitur* BELGIUM.

Inferior Germania dicitur, quod magis propinqua ſit mari quàm ſuperior, agrosque & campos ſuos longè humiliores habeat præ illa.

Belgium in XVII *provincias dividitur; nimirum in* IV Ducatus, VII Comitatus, V Dominia, *&* I Imperii Marchionatum.

Has provincias Rex Hiſpaniæ jam dudum titulo regni donare voluit, nec immeritò; cum potentiâ cum quoque regno decertare poſſint: at verò quia ſingulæ ferè diſtinctis idiomatibus, ut Gallico & Belgico, variis privilegiis & libertatibus, quas quælibet ſartas tectasque obſervat, conſuetudinibus & moribus diſſimilibus, Dominis & Patronis ſeparatis gaudent, per connubia autem ſub unum tandem Dominum redactæ ſunt, qui Dominus unicuique etiam provinciæ ratione privilegiorum juramento ſeſe obligare coactus eſt, fieri non potuit, ſingulas provincias iiſdem legibus adſtringi. *Vide Guicciard. Stradam*, & *tot de Belgio ſcriptores.*

Ducatus *ſunt* Brabantia, Limburgum, Lucenburgum, *&* Geldria.

Comitatus *ſunt* Flandria, Arthesia, Hannonia, Hollandia, Zeelandia, Namurcum, Zutphania.

Dominia *ſunt* Friſia, Mechlinia, Ultrajectenſis, Tranſiſulania *&* Gröninga.

Marchionatus *imperii eſt* Antverpia.

Has junctim videbimus in ſuis civitatibus; poſtea

poſtea diviſim à ſe invicem in forma, quâ hodiè parent.

Brabantia, *cujus urbes ſunt*, Lovanium, Bruxellæ, (vide Ulyſſem meum) Sylva Ducis, Trajectum ad Moſam, Breda, Berga ad Zomam; *reliquæ minores ſunt*, Tienen, Lier, Dieſt, Arſchoten, Nivelle, Vilvorden, Gemblours, Herentals, Eindhoven, Helmont, Grave, Steenbergen, Sichenen &c.

Limburgum *ſecundus Ducatus, ubi urbs* Limburg, *huic adjecti comitatus* Falcobúrgum, *&* Dalem, *cum opidis eorundem nominum.* (*Non procul Limburgo ſunt* Spadani fontes)

Tertius Ducatus Lucenburgum, *in quo urbs ejuſdem nominis, cui minora ſubſunt opida*, Arlon, Theonville, Rodemachera, Gravemachera, Köningsmachera, *& reliqua pluria.*

Quartus Duc. eſt Geldria, *cujus primariæ urbes ſunt*, Neomagum, Ruremonda, Arnheimium; *reliqua opida ſunt*, Thiel, Bommelen, Gelre, Venlô, Stralen, VVachtendonck, Hardervvyk, VVageningen, Hattum, Elborch, &c.

Sequuntur Comitatuſ, *inter quos* 1. *eſt* Flandria, *ubi urbes principales ſunt*, Gandavum, Brugæ, Ypren, Duacum, Tournay, Ryſſel, Rupelmunda; *reliquæ minores ſunt*, Audenarde, Slüſa, Ardenbourg, Nieport, Dunkercken, Ooſtende, Grevelingen, Aelſt, Biervliet, Yſendyk, *&c.*

2. Comitatus *eſt* Artheſia, *cujus Metropolis* Arras: *reliquæ ſunt* S. Omer, Bethune, Heſdin, Bapaume, Arien, Renty, S. Paul.

3. Com. *eſt* Hannonia, *cujus primariæ urbes*

bes Mons, *ſive* Bergen, Valenchines, Camerick; *reliqua opida ſunt*, Chimay, Mariæburgum, Philippeville, Avennes, Halle *&c.*

4. *Comitatus eſt* Hollandia, *quæ dividitur in* Septentrionalem *&* Meridionalem.

Septentrionalis, vulgò VVeſtfrieſlandt, *ſive* Noordt-Holland *dividitur in* Civitates, Dominia *&* Inſulas. Civitates *ſunt* Enckhuſa, Horna, Alcmaria, Edamum, Monachodamum, Purmerenda, Medenblickum.

Dominia *ſunt* Bevervvyck, *quæ licet muris nuda, iiſdem tamen veſtita privilegiis, quibus ſunt civitates*; *&* Schagen. Inſulæ *ſunt* Texel, Vlieland, VVieringen, Urck, Ens.

Meridionalis Hollandia, ZuydtHollandt, *rurſus dividi debet in* Comitatum, *qui eſt* Egmond, Baronatum Vianen; *in* civitates, Inſulas *&* Pagos.

Civitates ſunt vel Priores, Dordracum, Harlemum, Delphium, Lugdunum, Amſtelrodamum, Gouda.

Vel Poſteriores, *ut* Roterodamum, Gorcum, Schiedam, Schoonhoven, VVeſop, Narden, Muyden, VVoerden, Oudevvater, Iſelſtein, Leerdam, Aſperen, Heuckelom, VVorkum, Heuſden, Gertrudenberg, Sevenbergen.

Inſulæ ſunt, 1. Ooſtvorn, *in qua* Briela, Geervliet, Beyerlandt *&c.* 2. VVeſtvorn, *ubi* Goree. 3. Over-Flackee, *in qua* Somerdyck, Oeltgisplaet, oude *&* nieuvve Tonge, Dircxlandt *&c.*

Libertates *in Meridionali Hollandia ſive* Freyheiten/ *ſunt* Nieport, Vlaerdingen, Graveſande.

His

His adjungo utriuſque Hollandiæ Pagos, *quorum numerus* CCCC. *inter quos* Haga, *tametſi jus civitatis habet, agmen ducit.*

Quintus Comitatus eſt Zeelandia, *cujus* VII *numerantur* Inſulæ. 1. VValachria, *in quâ* Middelburgum, Vliſſinga, Veera, Armuyden, Domburg, Rammeken *cum arce* Seeburg *à Carolo V. ſtructa, &* Suytborch.

2. Schaldia *ſive* Schouvven; *in qua* Zirickzee & Brouvvershaven.

3. Zuydbevelandia, *ubi* ter Goes & Romersvvale.

4. Nordbevelandia, *in qua* Colynsplate, & Catz-hoeck.

5. Duvelandia. 6. VVolfersdyck.

7. Ter Tolen, *ubi oppidum ejusdem nominis, &* Martensdyck, *cum Dominio* Scherpeniſſe.

Sextus Comitatus eſt Namurcum, *cujus opida ſunt*, Namur, Charlemont, Ardenne, Bovines &c.

Septimus Comitatus eſt Zutphania, *ubi* Zutphen, Lochum, Doesburg, Grolle, Doetecom, Bronckhorſt.

Sequuntur DOMINIA. 1. *Chorum ducit* FRISIA, *in qua ſunt* Leovvardia, Dockum, VVorkam, Franeckera, Staveren, Bolſvvaert, Sneeck, Harlingen, Hindeloopen, Slooten, Ilſt.

2. MECHLINIA, *cui urbs ejuſdem nominis, ubi ſumma Curia (Parlamentum) ad quam ultima provocatio.*

3. ULTRAIECTUM, *hodiè ſub ſe habens*, Trajectum, Amersfordiam, Batavodurum, Rhenen, Montfort.

4. Tranſiſulana, *in qua Civitates principales*: Daventria, Campodunum, Svvolla; *reliqua ſunt*, Steenvvyck, Vollenhoven, Haſſelt, Coevorden, Geelmuyden, Hardenberg, Meppel, Ootmarſen, Oldezeel, Omme, Blockziel, Svvarte Sluys.

5. *Dominium eſt* Gröningenſe, *in quo* Gröningen, Damme, Delfziel, *& fortalitium* Bourtange.

Supereſt unus Imperii Marchionatus Antverpia: *vide fusè deſcriptam hanc* in Vlyſſe meo.

Hucusque viſæ ſunt XVII Provinciæ, ordine junctæ, quo olim Domui Burgundæ ſuberant; nunc eas videbimus à ſe invicem diviſas in duas formas; altera libertate oppreſsâ Hiſpano paret, altera Armis libertatem tuetur (cujus inſigne PILEus ex antiquitate Romana) contra Regem Hiſpaniæ, & nomine *Vnitarum Provinciarum* gaudet. Ut utrumque regimen uno intuitu habeas, Tabulas binas univerſi Belgii ad calcem hujus operis adjeci, ut quid quiſque poſſideat, diſcriminatim in numero habeas, & quid cuique deinde per expugnationes accreſcat vel decreſcat, in his tabulis corrigere poſſis. Vide & fave noſtro labori.

Patere, benevole lector, ut antequam hoc caput finiam, conſummati judicii Laconicique ſtili epiſtolam de Hollandia, à juvene D. G. à S. è generoſiſſima Sileſiorum gente ad nos Leydâ in Italiam ſcriptam, tuæ lectioni offeram, non pigebit tantum temporis dediſſe puriori huic operæ, quæ talis eſt:

Quid-

Quidquid ſit, Brabantiæ honore integro, Hollandiæ primas adhuc dare non erubeſcam: punctulo, glorioſo ſuo motu tantoperè orbem infeſtanti Hiſpanicum. Intuere *Incolas*, Libertatis vindices acerrimi ſunt, & *Arminii* planè quotquot vides. *Catones* & *Bruti*; ſi conſtantiam & fortitudinem; *Sertorii* & *Annibales*, ſi aſtum inter dubia & fallendi artes requiris: nec quicquam plus eſt Majorum moribus atque odium hauſere ſervitutis.

Regio ipſa ſitu, vallis, propugnaculis tuta; idque naturæ, ſed magis ingenio incolarum ceu artis beneficio. Cuncta expugnandis urbibus inventa, uſus monſtravit; tutandis, amor libertatis, nec quidquam tam ſolidè natura conſtituit, quod *Batava virtus* induſtrioſa non inquietet, nec tam occultè, quod non eruat. In undis ſolum quærunt, in ſolo undas; utrumque feliciter, quia utiliter,& metamorphoſi niſi visâ,planè extra verum.

Iam verò univerſa *Gens* laboris avida, quietis impatiens,& planè cœleſtis naturæ. Mare, quaquaverſum patet, navigiis ſollicitant, ceu Neptuno litem de jurisdictione moturi. Indos adire, paucis retrò annis formidoloſum; nunc quaſi tritum, pervium iter; ſi mirêre, rident, longius mox ſe auſuros, jactitantes, quò inſtar Iaſonis ulteriori indagine vellere aureo potiantur. Felix populus, meliorem in bello, quàm in pace cauſam habens. Nocuêre olim nimis ignavæ induciarum moræ, & quantum

nocuerint, ſenſere, ut nunc deteſtentur. Externum bellum concordiam parit, & uiſi daretur foris, qui cum pugnent, an non fortaſſe domi? *Revera ſemetipſam atterit Heroica virtus, niſi habeat aliunde, ut terat.*

Militiam ſi ſpecto, Martis ſchola eſt, ni planè domicilium. Multum præ cæteris Germanis (quippe ars & uſus in ſtimulos verſa) rationis ac ſolertiæ: præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare, ſi opus, noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerantes, quodque rariſſimum, plus reponunt in DUCE quàm in exercitu.

Sed nec Duci libera (quia hæc penes ſtatus) & infinita poteſtas, & licet maximè imperio, plus tamen adhuc exemplo, ſi promtus, ſi conſpicuus, ſi ante aciem agit, admiratione præeſt. Alios ad prælium ire videas, Batavos ad bellum, rari excurſus & fortuita pugna, rarior acies. Nec ipſis, (ut Gallis) citò parare victoriam, cito cedere. *Velocitas juxta formidinem, cunctatio proprior conſtantiæ eſt.* Dilectum ac tributa (*accyſen* vocant) impigri obeunt, etſi grandia & frequentia, edocti nec ſuæ nec aliarum gentium quietem ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine ejuſmodi neceſſitatibus conſtare poſſe. Injuriæ ſi petantur, abſunt, vitatis quæ in quæſtum alibi reperta ipſo tributo gravius tolerantur. Amant parere, non ſervire. *Vrbes* inſignes nitore omnes, magnitudine juxta non paucæ; ædificia

con-

concinna magis quam ſumtuoſa : domus ſingulæ decentiores quàm ſublimiores: plateæ ad regulam factæ videntur, non fortuito, adeo ſilex ſilici exactè reſpondet, ac ſi veritum eſſet, ne alter ab altero plus æquo diſtaret. Sordes ignorantur, & *Lutetiam* ibi quærere licet, non invenire: Munditiei viarum cultores ad ſuperſtitionem uſque, modum vix tenent, compendioſe ſtruunt, quicquid ſit, nec ſine decore, & ubi utilitas non quid partium miſcet, luxuria ſola ſuada non erit. Decor, ne placeret cum periculo, hoſtiles adverſus inſultus munimenta quæſivit, dedit natura, ars æmula; ne laudis expers, ritè compoſuit. Singula exteros delectant, incolas juvant, quia ſpecioſa ſimul, & ſecura. Commeatibus advehendis flumina commodiſſima, quæ civitates non tantum alluunt, ſed ſecant & invidioſa penè gloria interfluunt. Hæc præ cæteris prærogativâ maximè gaudet *Lugdunum Bat.* quod itinere feſſis fidam, nec minus jucundam dedit ſtationem ter octo dies & amplius. Hoſpitio non uſos mox amica excepit menſa, quia olim amicitia. &c. Cæterum urbs iſta illuſtris ſtudiorum magiſtra ſuo merito audit. Locus ipſa amœnitate amœnior, Gallicâ urbanitate & linguâ compoſitus, & omnia ad deſiderium, licet prærer ſpem noſtram. &c.

Uno atque altero lapide *Amſtelodamo* abjuncta occurrit terra illa nova viſu digniſſima (*die Beemſter*) uti appellant. Paucis retro annis quid niſi pontus fuit? Tecta omnia

undis cœruleis, navibus circumcirca frequentata, & remigum patientiſſima, nunc temporis Smaragdinus pratorum viror aquis ſucceſſit, quaſi ex pacto & indulgentia à natura humano ingenio conceſſa. Molæ extractoriæ diverſi generis egêre opus, ſtructura ut compendioſa & utili, ſic novitate inſigni & abſque exemplo. Glorientur Hiſpani Sevilla ſua, ſed ne nimis; & Hollandis ſuper flumina boves, paſtu luxuriantes, nec merguntur, quia firmata tellus, quæ paulò ante lubrica. Lætantur mirificè armenta, nec ſolum, diviſo quaſi cum hominibus delectamento. Inædificarunt, quod nec urbis referat imaginem, nec pagi: non ordini lenocinantes, ſed antiquorum Germanorum mori. Ut fons, ut nemuſculum placet, ſtruunt, colunt, nec intereſt, cohæreat, an non. Delicias quærunt & inveniunt, & niſi invidiæ plenum eſſet, privatorum fortunas Regiis comparare, Galliam ipſam non illuſtratam teſtarer paribus voluptatum domunculis. Adeo omnia exterius congruunt, compoſitè magis quam ſumtuosè; interius nitent, ſplendent, idque pro affectatione gentis. Redux ex Italia, an campi Elyſii tot ſæculorum famâ caneſcentes, amœnitate ſint potiores, judicatum facies. Simulatque perluſtraveris *Silvam Harlemianam*, jucundioribus deambulationibus ſacram & umbræ, licet torridis Leonis æſtibus non egenam. Arbores uno filo ductæ potius quam ſic ſatæ videntur, unoque tempore, quia non excedentes & planè quales provenie-
bant

bant è Cyri Perſarum Regis manu. Ambulacra plurima, eaque decuſſatim facta. Tempus, ſi immoraris, non tranſcurrit, ſed transfugit. Sic animus præter fidem reficitur. *Hagam* inſignem *Comitum Naſſoviorum* Aulæ ſedem adii & vidi, ſed vix, quia ſine aula. Oſtentabat quippe tunc *Auriacus Princeps Bredæ* bellum, non inferebat, idque ut alliceret hoſtem, arcta qui obſidione *Trajectum ad Moſam* commeatu jam pridem, non animis exhauſtum, clauſum tenebat. Non intelligebantur artes ab Hiſpanis, tam rapido agmine Bredam, ac ſi jam præda, contendentibus. Adventantium adſpectum defugiebat Princeps non metu, ſed quia ſic expediebat. Id agens, ut obſeſſis inſtar benigni ſideris repentè affulſerit, neceſſitates, quæ indies fortiùs ſtringebant, ſublevarit, ingeſta alimentorum copia, victuque in longius ſuffecturo. Præproperum conſilium ſed eventu clarum, Legiones jam omnes hybernis ſemetipſum Hagæ reddiderit, hyeme quiete anni inſtante, & belli progreſſibus incongrua. Optarem inpræſentiarum rurari illuc, & mirari eruditos Gallici luxus æmulos.

Iure parva Lutetia audit, æmulans cuncta, bona, honeſta, mala, turpia, quibus Gallia claret, vel ſcatet. In amore nimium Gallicantur, & vanitatum quandoque citius quàm Germanæ memores conſtantiæ. Ad *Pagus* quo merito? niſi fortè ad exemplum, ut *Victavium* à Carolo V. indigitatum, longè tamen ſplendore ædificiorum,

rum, platearum & venuſtate undique præ-
valens.

Cæteræ urbes encomio non minori, quia magnificentia pari, illuſtrari merentur, quas tamen cum ipſæ loquantur viſæ, tacere non nocet.

Ideò autem maximæ extollendæ, quod fundamento ſtabiles: non domibus aut tectis aut congeſtu lapidum, licet & hoc, firmatæ videntur: mortalia hæc ſunt, muta & inanima, quæ intercidunt & reparantur fatali ſic jubente periodo. *Æternitas rerum, pax gentium, populi cum Magiſtratu ſalus, ſola incolumi viget concordiâ* &c.

CAP. V.

DE ITALIA.

V*Idimus hactenus Occidentales Europæ regiones; ſequuntur Meridionalis*, Italia *&* Græcia.

Italia è regno, in cui ſi raffinano gl'ingegni oltramontani: dice Galcazo Gualdo. Italiam Græciæ præpoſuimus, ſiquidem illa ex hac ortum ſuum habet. Varia olim habuit nomina. *Saturnia* dicebatur à Saturno, qui etiam in ea ad tempus latitans, *Latii* nomen ei fecit. Item *Auſonia*, *Oenotria* & *Heſperia magna* ad differentiam Hiſpaniæ. Italiæ autem nomen an à Rege Italo, an à bobus, Græci Ἰταλὺς vocant, ſumſerint, videatur *Gellius lib.* 11. *&* *alii*. Quâ ſitum & formam aſſimilatur *querno folio, manui, cruci* & *tibiæ humanæ;* inter has mihi placet *Tibia*: ſicut enim

tibia ſuperiori ſui parte, quâ femori connectitur, eſt major & craſſior inferiori, quâ talo & claviculis committitur, ibique in duas quaſi partes ſcinditur, in quarum medio eſt mediocris cavitas: Ita *Italia*, unâ ſui parte, quâ Alpibus eſt continens, latior & amplior eſt; altera verò, quâ partim Africam, partim Siciliam & mare Mediterraneum ſpectat, in duo quaſi cornua finditur, quorum alterum fretum Siculum, alterum mare Ionium ſpectat: Et ſicuti tibia in medio acutior prominet; ita Italia in ſuo medio quaſi dorſum eminens, & acutum habet montem Apenninum. Includitur verò confinibus ſuis, ab Occaſu Alpium, & Franciæ parte, nec non mari Tyrrheno; à Meridie mari Infero ſive Tuſco; ab Ortu mari ſupero ſive Adriatico; à Septentr. Alpium jugis. *Longitudo* ejus ab *Auguſta* in finibus Alpium ad promontiorum *Capo delle arme* infra Rhegium Iulium oppidum in extremitate Calabriæ æſtimatur ccxxv, mill. German. *Latitudo maxima* in confinio Alpium eſt cxl; *media*, ab Ancona ad oſtia uſque Tiberina xxxiv milliar. Germ. His præmiſſis, veniamus ad diviſionem Italiæ.

Italia dividitur in Veterem *&* Novam.

Nova olim dicebatur *Gallia Ciſalpina*, cujus provinciæ aliæ ſitæ ſunt *cis Padum, di quà dal Po*; aliæ *trans Padum* fluvium, *di la dal Po.*

Cis padum ſunt I. Flumina, (*vulgò Romania & Romaniola nuncupatur*) *in qua hæ civitates*, Bononia in qua prima Academia, unde illud, (Bononia docet) in numiſmatibus; urbs

urbs ædificiis, porticibus & palatiis ſplendens, domicilium Legati Papalis. Ravenna *ob antiquitatem celebris*; Ferraria, *quæ Duce extincto, Pontificiæ ſedi hodiè ſubjacet:* Ariminum (*Rimino*) *ad mare ſitum*, olim amplum portum habuit, qui nunc arenis oppletus modica navigia tantùm admittit. Forli, (*forum Livii*) *urbs agro fertiliſſimo gaudens*, Forinpopolo. Ceſena; *non longè hinc ad Apennini radices* Sarſina, *Plauti patria.* Faventia (*Faënza*) famoſa ab albis vaſis fictilibus; quorum uſus in Italia frugibus adponendis, paret Papæ, *uti &* Imola, (*Forum Cornelii*) *ad Santernum fl. His adjicio* Mirandulam, *cui titulus eſt Comitatus.*

2. ÆMILIA, *quæ* Longobardia Cis-alpina *dicitur, &* tribus Ducatibus *claret*; I. Parmenſi, *in qua elegans urbs* Parma, *Ducum Farneſiorum ſedes;* Placentia (*Placenza*) *ager vellere & pecoribus ditiſſimus, unde caſei Parmenſes proveniunt. Inter utramque oppidum eſt* Fiorenzuola.

II. *Ducatus eſt* Mutinenſis, *in quo* Modena, *&* Regium Lepidum, (*Reggio*).

III. *Ducatus eſt* Montisferratenſis *ad Ducem Mantuanum pertinens, in quo* Caſalis *duplici arce munita*, Alba, Acqui, *reliqua opida ſunt* Alexandria, Aſti, Nicæa paleæ, Moncalvo, S. Salvadore, Baſſiniana, Valentia, Pollentia, Ceva.

3. LIGURIA, modo dicta Riviera di Genoua, *in qua urbs* Genoua, *gaudet titulo Ducatus: omnium Italicarum urbium, quâ ædificia & ſumtuoſa palatia, ſuperbiſſima.*

Genuenſis Reſpublica eſt libera, Imperii tamen

tamen Romano-Germanici ſuperioritatem aliquo modo recognoſcere tenetur. Exemplum eſt: Cum durante controverſia cum Marchione Finali (de qua exſtant ICtorum Italiæ reſponſa) ad Imperatoris Maximiliani II. tribunal Genuenſes vocarentur, primùm judicio ſeſe ſtiterunt, poſtea verò poſt edicta peremtoria emanata cum abeſſent, mandatis pœnalibus res contra ipſos agitata fuit, hoc addito, niſi parerent, urbem & agrum Genuenſem proſcriptum iri: cum tamen notiſſimum ſit, mandatum pœnale contra eum, qui Rom. Imperio non eſt ſubjectus, minimè dicerni poſſe. *l. finali ff. de juriſdict. Clem. paſtoralis. de Re judic.* Genuenſes cum frivolè à ſententia Pontificem Romanum appellaſſent, deſerta appellatione, judicato paruerunt. An non hoc vulnus libertati Genuenſium inflictum, ferè incurabile: Patroni Genuenſium emplaſtro aliquo vulnus tegunt, non de Genuenſium libertate aut ſubjectione diſputatum fuiſſe, ſed de Finali Marchionatu. Utut ſit, vulnus magnum fuit, cicatrix non levis permanſit.

Illam ſequitur Savona, Albenga, Vintimiglia, Nizza, *Sabaudo parens,* Serezzana, *in qua præſidium eſt è Germanis,* Seſtri, *&c.*

4. PEDEMONTIUM, (Piemonte, quod ſit ad pedem montium, ſive ad radices Alpium, Galliam & Sabaudiam ab Italia dividentium) *cujus caput eſt* Auguſta Taurinorum, (*Turine,*) *ubi Ducum Sabaudiæ ſedes, urbs Caſtello munitiſſima.*

Italus quidam notatu digna de hoc caſtello

ſtello ſcripſit, quæ adjicere volui, nam non ſunt omnibus obvia, ſi vera ſunt; mihi quidem licet ter Taurinum penetraverim caſtellumqne argentea manu intrare voluerim, negata fuit accedendi licentia. Ita verò ille ſua vulgari: *Turino è citta popolatiſsima, come quella nella quale la Corte vi ſi ferma quaſi tutto l'anno, il che naſce per il paſſo grandiſsimo, che hâ di Spagna, Francia ad Italia, incredibile preſſo à chi non l'hà veduto. Il duca vi hà fatto una Cittadella di cinque Baloardi, così bella, e di tanta ſpeſa che forſe ne maggiore, ne uguale ſi potrebbe dire oue fuſſe. Io dirò una coſa notabile d'un Pozzo. ch' eſſa citadella hà nel mezzo, fatto in molto tempo, e con gran ſpeſa, nel quale poſſone andare* CINQUECENTO E MILLE CAVALLI *e più à bevere d'un' acqua ſortiva, ſenſa impedirſi l' un l' altro nel calare, ne manco nell aſcendere.*

Tantum ille. reliqua opida ſunt Vercelli, Cargnano, Rivoli, Suſa Villa Franca, Pinarolo, Avigliano, Bozolengo, Saluze, Paiſana *ad Padi fontes.*

Tantum de Provinciis Cis-padum ſitis; ſequuntur Trans-padanæ, *inter quas* I. *eſt* LONGOBARDIA, *(vulgò. Ducatus Mediolanenſis) cujus caput* Mediolanum, *cui caſtellum munitiſſimum nomine* Portæ Ioviæ. *Reliqua opida ſunt* Ticinum, *ſive* Pavia Novara, Cremona, *magna ibi ſoli ubertas, unde* Scaliger *à cremore nomen ejus deducit,* Lodi, Marignano, Sonzino, Picighiton: *ubi Franciſci I Gall. Reg. captiva detentio, antequam Madritum abduceretur: in omnibus ſunt Hiſpana præſidia, quæ ſub Carolo V.*

lo V. Imperat. cœpere, & uſque in hunc diem manſére.

2. *Duc.* MANTUAE, *in qua urbs elegans* Mantua *ad Minzium fluvium*; qui ex lacu Benaco egreſſus urbem cingit paludibus, ad quam per pontes eximii operis eſt aditus. Hodiè ducatus titulo poſſident *Gonzaga*, & rerum ſummæ præſunt.

3. *Comitatus* VENETORUM, *in quo* Brixia, Breſcia validis muris & caſtello munita; opibus florens. *Venetæ urbis ſponſa* appellari ſolita.

Bergamum, cujus incolæ faceti à moribus & ingenio audiunt, loco ſitum amœniſſimo, ambitum cum IV ſuburbiis adjacentibus, non minorem Mediolano habens.

CREMA, *in pulchra, & fæcunda planitie ſita, munitionibus validiſſima;* Peſchera, *munitiſſimus locus ad Lacum Benacum (lago de Garda.) Præterea ſunt duo caſtella Venetorum intra Cremam & Breſciam, munitiſſima, Hiſpanis qui Soncini in præſidio ſunt, oppoſita; nomina eorum* Iorzi novi *&* Iorzi vecchi.

4. MARCA TREVISANA, *ubi* VENETIAE; urbs in intimo ſinu maris Hadriatici ſita, æſtum ſingulis ſenis horis patiens; muris, turribus, propugnaculis nullatenus cincta, naturâ tamen loci munitiſſima & tutiſſima. Verè *Paradiſus eſt deliciarum*, & cæterarum urbium Regina, ſive imperii antiquitatem, ſive magnitudinem & potentiam, ſive conſiliorum & rerum geſtarum felicitatem ſpectes.

PATAVIUM, (*Padoua,*) *antiquiſſima Italicarum*

carum urbium, ſubeſt Venetis, ſub ſe habens opida, Montinianum, Caſtrum Baldum, Atheſten, Montem Silicis, Sacci opidum, Campum S. Petri, *&* Citadellam. *Item vicos*, Miranum, Oriacum, Arquadum, (ubi Petrarchæ ædes & ſepulchrum) Conſelvam, *&* Anguillæriam.

TARVISIUM *(Treviſo) à quo nomen habet ipſa regio* Marca *Treviſana*. Ex hac urbe Totilas Gothorum Rex fuit oriundus, hodiè ſub Venetorum poteſtate.

VERONA, *Germanicè* Dietrichs-Bern, *ad Atheſin fl. paret Venetis*. Dicitur quaſi *Verèuna*: æquiparatur inſuper VE RO NA tribus magnis urbibus, nimirum, VE Venetiis, R O Romæ, N A Napoli: illis à lacu, iſti à nobilitate, huic à tribus caſtellis. Ejus aliàs eſt elogium:

Vrbibus Italiæ præſtat Verona ſuperbis,
Ædibus, Ingeniis, flumine, monte, lacu.

Ædes ſunt palatia à comitibus & Baronibus habitata: Ingenia ſunt poëtica & muſica, quia Organiſtæ reperiuntur in ea ſutores, arte muſica tam excellentes per naturam, ut organis præficiantur. Flumen eſt Atheſis, civitatem dividens. Mons eſt Sancti Baldi, qui quaſi repertorium artis Botanicæ, eò cum vere agminatim Patavio medicinæ ſtudioſi confluunt; locus Æſculapio planè ſacratus. Lacus eſt de garde, unde ditiſſima piſcium copia.

VICENZA, *ſive Vicentia, ſub Venetorum regimine*, urbs non magna, ſed nobilitate præcellens: dignum hic viſu *l'Academia*, cui ſimilem

milem Italia non habet, theatrum eſt Comicis deſtinatum.

Vicentinis ſubſunt opida *Maroſtica, Brendulum, Lenicum*, pagus item & caſtellum Cuſtodia (Cuſtozza) ubi multa rara viſu in cryptis montanis. Vide Schottum, Bembum & novos auctores.

ROVIGO, Elegans opidum ditionis Venetæ, ubi Præſidem juſtitiæ habet, quem Poteſta dicunt, dicitur *Il Poleſine di Rovigo.*

5. FORUM IULII, (*vulgò Friuli*) *in hac regione eſt* UTINUM (Udene) *ſub jure Venetorum, qui miſſo eò Præſide, qui eſt urbilis Venetus, quem Locum tenentem vocant, dominantur.*

AQUILEGIA, ubi ſedes Patriarchatus fuit, urbs ampla, ſed colonis deſtituta & ſolitudine deformis: hodie ſub Venetis altâ pace fruitur.

GORITIA, *Palatinatus ditionis Auſtriacæ dicitur Goricienſis, in quo caput eſt* Goricia, *opidum nobile & opulentum.* Cividad di Friuli, Tergeſtum, (*Trieſt*) Gradiſcia, Portus Gruarius, Spilimbergum, Maranum, Mons Falconis, Palma, *urbs rotunda forma a Venetis exſtructa & munita anno* 1593. *Hæc omnia ſub jurisdictione Venetorum.*

6. ISTRIA, Germ. Hiſter-reich, *in parte Venetis, in parte Auſtriacis ſubjecta eſt. Nobilior ejus civitas eſt* IUSTINOPOLIS (*cabo d'Iſtria*) *deinde* Polaparenzo, *& reliqua.*

Hactenus de ITALIA NOVA *egimus; ſequitur* ITALIA VETUS, *cujus Provinciæ ſunt;* 1. HETRURIA, *ſive Toſcana*, pars hujus titulum magni Ducatus adepta à Pio V Pontifi-

ce

ce Romano invito Maximiliano II. Imperatore Romano: tituloque Magni Ducis primum donatus eſt Coſmus I, anno 1569.

Dominium Magni Ducis commodè dividitur in antiquum & novum

Ad antiquum refertur florentiſſima Florentia, *quia primitùs à Medicis fuit acquiſita.*

Florentia à Carolo M. fuit reſtaurata, & nihilo ſecius Imperii membrum manſit, & Imperatoribus ſubdita, qui eam rexerunt datis Magiſtratibus, donec denegata fide ad Imperatore Rodolpho I. libertatem & privilegia pecuniâ elicuit. Res ita ſe habet; Rodolphus I. Pinzevallem de Fliſco ex comitibus de Längarna Genuenſem, vicarium imperii, ad Hetruriæ civitates, ut ſacramentum fidei exigeret, mittebat: Illæ verò contumaciter negabant. Imperator mirum in modum licet commotus, tamen permotus, opibus ſuis, ſi armis experiri vellet, diffiſus, obſequium illis remiſit, integramque libertatem indulſit. Fliſcus id indicavit civitatibus, & ſingulæ ferè indictam pecuniæ ſummam libentiſſimè perſolverunt & ita, libertate pretio emtâ, privilegia maxima elicuerunt, non ſine maximo detrimento imperii. *Segonius de Reg. Ital. lib.20. Blond. Platin. Sabellic. Cuſpinian. in vita Rodolph* Quantam verò pecuniæ ſummam Florentini numeraverint, variant Auctores; alii putant 7000 Ducat. Alii 6000. Maximilianus I. Imp. cum unà cum Lodivici XII legionibus civitates Italiæ omnes ingenti metu terruiſſet, Florentini 40000 aureos ſolverunt,

runt, & denuò privilegia à Rodolpho I. conceſſa, fuerunt confirmata. *Bodinus l. de Republica 9.*

Eò referuntur Piſæ, Aretium, Piſtoria, Monte Pulciano, Cortona, Volterra, Fieſole, Colle, il borgo S. Sepolchro *&c.*

Ad novum referuntur Senæ, *Lud. Guicciard. lib. 3. rer. memor.* Carolus V. Senas ad imperium pertinere contendit, ideò, quia in tabulis imperii ſcriptum reperiatur; Senenſes olim Carolo IV Imperatori fidem addixiſſe. & quod ipſius auſpiciis Reipub. formam, quâ hactenus uſi fuerant, feliciter inſtituiſſent. Et tamen in præjudicium S. Imperii, Coſmus ac liberi ejus, Philippi Hiſpan. Regis beneficio, urbem occupare potuerunt, quam ipſe Philippus à Cæſare, ſine Principum Germanorum conſenſu, nullo modo accipere potuit. Factum eſt; ſed quo jure? *Montealcino, Chiuci, Groſſeto, Sovana, Pienza.*

Eidem M. Duci paret portus marinus Livorno, *egregium oppidum in hunc ſplendorem reſtauratum, nec non inſula,* Elba, *ubi* Coſmopolis *&c.*

Præter Magnum Ducem Tuſcia habet, 1. Hiſpanum, *cui ſubſunt* Plombinum, Telamon, Orbetellum, *&* portus Herculis (omnia maritima opida, Hiſpanorum præſidiis firmata, quæ Senis Magno Duci traditis, Hiſpanus ſibi reſervavit, ut hiſce in Tuſciam liber ſemper ſibi eſſet acceſſus.)

2. Pontificem Romanum, *qui poßidet* Peruſiam, Orvietum, Orti, Aquapendens, Vi-

terbum, Civitatem veterem (cività vecchia) Braccianum *(hoc eſt Ducum Vrſinorum)* Omnia hæc legata ſunt Eccleſiæ Romanæ, & patrimonium D. Petri appellantur: *lo ſtato della chieſa.*

3. *Rempublicam Lucam*, quæ ſui juris Civitas, valdè munita, libertate fruitur omnigenâ, ſed eam emit 12000 ducat. *Sigon. de regn. Ital. lib. 4. Fulgoſ. conſil.* 212. *Tib. Decian. Reſp.* 19. *n.* 29. Quamvis autem Carolus IV. Legatum Lucenſibus præfecerit Cardinalem quendam Gallum, is tamen poſt abitum Imperat. civitatem juri ac poteſtati reſtituit. *Leand. Albert. in Ital* Hinc neminem ſuperiorem renognoſcit, *adſerentibus Socino junio re in Conſ.* 83. *Vol.* 4. *& Antonio de Petra de jur quaſ. non tollend. c.* 3. *q.* 4. *n.* 25. *& n.* 45.

4. *Principes de* Maſſa; *quibus oppidum* Maſſa *ſubjacet.*

II. *Italiæ veteris provincia eſt* LATIUM, *hodiè* Campagna di Roma; *Ejus caput* URBS ROMA, *Orbis quondam compendium*; ſita in valle, loco lutoſo & ſterili, aërem inſalubrem habens, quia Auſtro objecta. vere de hac dicitur:

Qui miſeranda videt veteris veſtigia Romæ,
Ille poteſt meritò dicere, ROMA FUIT.

Alia Latii oppida ſunt, Oſtia, *ad quam Tiberis ſe in mare Tyrrhenum exonerat*, Velitri *venuſti ſitus, jucundique proſpectus*, Tibur (*Tivoli*) *Ateſtini Cardinalis hortus & palatium*; Terracina, Ardea, Aſtura, Alba, Præneſte (*Tilaſtrina*) S. Gandolfo, Sermoneta, Pipernum, Freſcata, *ubi Cardinalium amœniſſimus receſſus.*

III. *Pr*

III. *Provincia eſt* UMBRIA, *hodiè* Ducato di ſpoleto, *in qua civitates*, Spoletum *partim in colle, partim in plano ſitum*; Nocera, *commendata à vaſis ligneis*; *quemadmodum* Fulignum *à tragematibus ſaccharatis, &* Eugubium *à lanaria negotiatione*, *Reliqua ſunt*, Aſſiſium (*Siſi*) Mons Falco; Interamnium. (*Terni*) *ubi vinum optimæ notæ*; Vernaccia, Pons caſtellanus, Narni, Otricoli *&c.*

IV. *Prov. eſt* MARCA ANCONITANA, *olim* Picenum, *in qua* Ancona, (*à forma cubiti, qui Græcis ἀγκὼν dicitur, nomen habens*) *portu capaciſſimo, naturâ arteque munitiſſimo celebris.* Urbinum, *Ducis ſedes, in qua arx aſcenſum dat equo in turres & tectum uſque*. Piſaurum (*Peſaro*) *arcem ad littus elegantem & munitam habens.* Firmium (*Firmo*) Oſmo, Gieſi, Recanata, Macerata, Fanum, Senogallia, S. Leo, Forum Sempronii, (*Foſſumbruno*) Lauretum, *ubi Maria Lauretana.*

V. *Prov. eſt regnum* NEAPOLITANUM, *quod ſuas rurſus dividitur in provincias*, *quæ ſunt ſitæ ad* mare inferum & ſuperum.

Regni hujus longitudo eſt ab oſtio *Truenti* fluminis ad promontorium uſque Brutium, vulgò *Capo Spartivento*, milliar. Germanic. c. Latitudo à promontorio *Maſſa*, non procul Neapoli; ad promontorium *Monti di S. Angelo*, milliar. circiter Germanicor. xxx.

Ad mare inferum *ſunt* 1. Campania felix, *nunc* terra di Lavoro. Dicitur Paradiſus Italiæ, nam incredibilis ibi omnium rerum fertilitas, ita ut natura luxurians, largiſſima ubertate & ſinu omnes delicias, amœnita-

tes & oblectationes hic effudiſſe videatur.

Campaniæ caput eſt Neapolis, *propugnaculis & caſtellis à Carolo V. munitiſſima, ita ut hodie Equus Neapolitanus fræno*, la Briglia *domatus ſit: de his alibi.*

Capua, *ex antiquæ Capuæ ruinis excitata ad Vulturnum fluv. cui pons fornicibus altis ſuperſtructus. Reliqua ſunt* Nola, Surrentum, Calvi, Cumæ, Salernum, Puteolis, Averſa, Sinueſſa, Amalfi, Pieſto, Fondi, Mola, Gajeta *&c.*

Hæc dicitur clavis totius regni Neapolitani; ultimoque eſt expugunata à Magno Conſalvo Hiſpan. Duce, anno 1504, hinc ejectis Gallis, univerſum regnum ad Hiſpanos, quibus id adhuc hodiè ſubjacet, devolutum eſt. In caſtello eſt ſacellum, ubi foris ſupra fores Caroli BorbonI, in Romæ exgpuna tione ſuccumbentis corpus veſtitum cum epigraphe: *Aucto imperio, ſuperata Italia, devicto Gallo, Pontifice obſeſſo, Roma capta, Caroli Borbonii hoc marmor cineres retinet.*

2. Lucania, *hodie* Baſilicata, *ubi* Policaſtrum, Piſciota, Ulaſtra, Acropolis, Padula, Capacia, Diano *&c.*

3. Calabria, *quæ vel* inferior, *ubi* Conſentia, *ſedes præfecti Regii*, S. Euphemia, *quæ propinquo mari idem nomen dedit, ad litus optim Corall. proventus.* Rhegium, (*Rhezo*,) Marthia, Fredus, Belmontium, Tropia, Caſtrum villare, Altomonti, Turranum, Rugianum Marturanum, Nicaſtrum, Briaticum, Hippo *&c.*

Vel Superior; *in qua* Tarentum (*Taranto*

cuj

cujus portus ingentibus ſaxis hodiè obturatus ; parvis navigiis tantum patet. Roſano, Belicaſtro, Croto, Matera, Cariati, *&c.*

Provinciæ regni Neapolitani ad mare Superum *ſunt* 1. Aprutium , *hodiè* Abruzzo, *provincia , cujus caput eſt* Aquila , *reliqua ſunt* Guaſto di Amone,Lazano, Sulmo *patria Ovidii* , Beneventum , Chieti, Aſculum Picenum, Spra, Aquinum, *Thomæ Aquinatis patria &c.*

2. Apulia, *quæ duplex,altera* Apulia Daunia (Puglia piana à *latiſſimis campis*) *in qua* Manfredonia *in rupe ſinus marini ad Garganum montem;* Troja, Luceria, Aſculum Apulum, Salpe, *& opida duo, quæ Proverbio originem dedere* , Apina & Trica ; *altera* Apulia Peucecia , *hodiè* Terra di Barri *ab urbe primaria* Bario. (*urbs celebris ab inauguratione Regum Siciliæ & Neapolis*) *Reliqua ſunt* Tranum (*Trani*) Monopolis, Polignano, Mola, Giuvenazzo,Malfera,Biſegli, Barleta,Oſtunum, Cilio,Venuſium (*hodiè Venoſa*) *Horatii patria*, Canuſum, Acherontia, Biletum *&c.*

3. Hydruntina regio, *olim* Salentinorum, *hodiè* terra d' Otranto ; *nomen habet à Metropoli* Hydrunto , (*hodiè Otranto*) *urbs antiqua arcem oſtendens ſaxo inædificatam* ; *Reliqua opida ſunt* Gallipolis (*hodie Callipoli*) *ſcopulo inſidens , quod inſtar inſulæ mari undiquaque cingitur , ſed ponte ingentibus ſaxis fulto jungitur continenti.* Leze (*olim Aletium*) Brunduſium (*hodie Brindiſi*) Caſtro , Uxentum , (*hodie Vxento*) *&c.*

Viſa huc uſque fuit Italia antiqua & nova,

va, ſecundum provinciarum ſitum; ſecundum dominia ſequens obſervari poteſt diviſio.

Italia ratione dominii dividitur in ſtatum Eccleſiaſticum *&* Secularem.

Eccleſiaſticus *eſt, qui paret Pontifici Romano, cui ſubeſt* Ager Romanus, Patrimonium Divi Petri, Ducatus Spoletanus, Marchia Anconitana, Romaniola, *&* Beneventum in regno Neapolitano *&c.*

Secularis *ſtatus complectitur dominium* Regis Hiſpaniæ, Ducum diverſorum, Rerumpublicarum, & unius comitatus,

Ad dominium Regis Hiſpaniæ *refertur Regnum Neapolitanum, Ducatus Mediolanenſis, item in littore Tuſcano 4 opida, cum inſulis Sicilia & Sardinia.*

Inter Duces, primas tenent Archiduces Auſtriæ *reſpectu Comitatus Tirolenſis, ubi Tridentum, & partium Alpinarum in Foro Iulii & Hiſtria. Deinde Magnus Dux Hetruriæ, cujus dominium, ut ſupra monſtravimus, in antiquum & novum diſpeſcitur.*

Dux Parmæ *in Longobardia Cis-alpina.*

Dux Mantuanus, *ad quem Montuferratenſis Ducatus.*

Dux Mutinenſes.

Dux Sabaudiæ, *ad quem Pedemontium.*

Dux Urbinatis *in Marca Anconitana:*

Reſpublicæ ſunt vel majores, ut Veneta, *cujus dominium ſupra latè deſcripſimus; &* Genuenſis *in Liguria.*

Vel minores, ut Luca, *de qua in Hetruria egimus.*

Comi-

Comitatus eſt Mirandula, *de qua in Romaniola.*

Hac forma hodiè uti poteſt Italiam peragrans, & quid in quolibet ſtatu dignum obſervatu adnotare, ut brevi & methodica via illuſtres perſonas, earumque aulas, ut ſe hodiè habent, in numerato habeat, memor dicti *Sex. Aur vict.in Cajo* Imperat.*Iuvat de Principibus noſſe omnia.* Henry le Grand Roy de France diſoit, eſtre neceſſaire de remarquer les fautes des princes, afin que ceux, qui viennent apres eux, ne s'esgarent au chemin, ou ils ſe ſont perdus. *P. Matthieu en la vie de Villeroy.*

C A P. V I.

De Illyrico, Græcia, Thracia *&* Dacia.

ALtera *Meridionalis Europæ regio eſt* Græcia *cum* Illyrico; *quibus in hoc capite adjiciemus duas Orientales regiones*, THRACIAM, *&* DACIAM.

Illyricum *IV ſub ſe complectitur provincias*;

1 Slavoniam, *quæ inter Dravum & Savum fluvios interjacet, cujus opida ſunt*, Poſega, Gradiskia *ad Savum flu.* Zagabria, Kopranitz *contra Turcam validum munimentum. Huic adhæret* RASCIA (das Ratzenlandt) *cujus opida ſunt* Garra, Sirmium Vetus, & Semlyn.

2. Croatiam, *ubi opida* Siſaken, (Siſſeck) *&* VVihitſch.

3. Boſniam, *in qua* Iaytza, Arky, VVarboſina, *quæ regni eſt Metropolis.*

4. Dalmatiam, *in qua eſt comitatus* Iadera,

olim Liburnia *dictus*, *hodie* Zara; *præterea ibi ſunt* Fianona, Terſatz, Zenga, Lopur, Starigrad, Peſcha, Nona, Zaravecchia, Scardona; *Item* Sebenico, Travv, Salona, Spalatum, Narenta, Sabioncello, Raguſivecchia, Riſine, Budoa, Dolcigno, Aleſſia, Scutari, Cataro, Delminio.

Viſo Illyrico imus in GRAECIAM.

Hæc à Sept. Serviam ſive Myſiam ſuperiorem; ab Ortu mare Ægæum; à Meridie mare Mediterraneum; ab Occid. partim mare Ionicum, partim Adriaticum, partim Dalmatiam ſibi confinem habet.

Regiones ejus partim ſunt in Peloponneſo ſitæ, *& Meridionales ſunt*; partim extra Peloponneſum, *& ſunt Septentrionales.*

Extra Peloponneſum ſitæ ſunt tres, Macedonia, Epyrus *&* Achaja.

Macedonia in medio duorum marium Ionii ab Occaſu, & Ægæi ab Ortu contenta: latus Septentrionale partibus Dalmatiæ, Myſiæ ſuperioris a Thraciæ terminatum habet; reliquum Meridionale, Epyro & Achajâ clauditur.

Macedoniæ *civitates ſunt* Theſſalonica (*vulgò Salonichi*) Pella, Apollonia, Philippis, Lariſſa, Tricola.

Macedoniæ accenſeri ſolet *Theſſalia*, quæ undique ferè montibus cincta: ab Ortu Pelion & Oſſam; à Sept. Olympum; ab Occid: Pyndum habet, & Achajæ ac Epyro proxima eſt; in qua fuere, *Tempe, Thermopylæ.*

Epyrus hodie Canina dicitur.

A Sept. & Oriente Macedonia, à Meridie Acha-

Achajâ, marique Ionio clauditur, quo & ab occaſu cingitur.

Ejus præcipuæ civitates ſunt Croja, Dyrrhachium, *ſive* Epidamnum, *hodiè* Durazo, Chymeræ, Butrotum, Belligradum, Lodrin, Valona, Ambracia, Larta *&c.*

Achajæ *regiunculæ aliæ ſunt* maritimæ, *aliæ* mediterraneæ.

Achajam à Sept. Theſſalia ſive Hellas; quæ & Græcia propriè & ſtrictè dicta nuncupatur: ab Oriente ſinus Euboicus; à Merid. Sinus Saronius, Iſthmus Peloponneſi, & ſinus Corinthiacus; ab Occaſu partim mare Ionium, partim Epyrus terminat.

Maritimas voco, quia uno vel pluribus è memoratis ſinubus alluuntur; veluti Ætolia *&* Locris, *ad ſinum Corinthiacum ſitæ, illa tamen proximior eſt mari Ionio, hæc ab eodem remotior. Item* Bæotica, *ad ſinum Euboicum*; Megaris *&* Attica, *quæ continentem illam inter ſinum Euboicum & Sarronium exporrectam occupant.*

Ætoliæ *primaria urbs eſt* Naupactum, *hodie* Lepanto.

Locridis *urbs eſt* Amphiſſa. *&* Anticyra:

Bœotiæ *notiores civitates ſunt*, Thebæ, Aulis, Plateæ, Cuma, Aſcra *Heſiodi*, Cheronæa, *Plutarchi patria.*

In Megaride *eſt* Megara, *Euclidis patria.*

In Attica *ſunt* Athenæ, *(Setines hodiè)* Marathon, Eleuſis. Athenæ olim compendium Græciæ dictæ fuerunt ἑλλάδος ἑλλὰς apud Euripid. Ψυχὴ καὶ ἥλιος καὶ Ὀφθαλμὸς ἑλλάδος Demoſtheni.

Mediterraneæ *ſunt, quæ nonniſi mediantibus*

maritimis mare attingunt;id genus ſunt. 1. Acarnania, *quæ ſupra* Ætoliam *eſt*, *ubi* Argos, Amphilochium.

2. Phocis, *ubi* Delphi, Cyrrha, *& alia ad Parnaſſum ſita.*

In PELOPONNESA, *hodiè* MOREA, *regiunculæ* VIII *ſunt ſita*;

1. Corinthia, *in qua* Corinthus *urbs proxima Iſthmo.*

2. Argia, *in qua* Micenæ, Argos, Nauplia, *olim* Neapolis, Epidaurus, Hermione, Træzena.

3. Laconica, *hujus Metropolis* Sparta, *ſive* Lacedæmon, *hodie* Miſithra, Leuctra, Malvaſia, Amyclæ.

4. Meſſenia, *in qua* Meſſene, *hodie* Mattagia, Modon, Coron, Pylus, Arcadia *urbs maritima.*

5. Elis, *in qua* Elis, Olympia, Cyllene, Leprinus, Corynæ, Myrſinus.

6. Achaja, *in qua* Chiarenza, Olenus, Patras, Voſtiza, Ægyra, Helice, Bura, Pellene.

7. Sicyonia, *primaria urbs eſt* Sicyon, Phlius.

8. Arcadia, *in qua* Megalopolis, *patria Polybii*, (Leontari *hodie*) Stymphalus, Lilæa, Mantinea, Pſophis.

Explicatis Meridionalibus Europæ regionibus, ſequuntur Orientales *binæ*, THRACIA *&* DACIA.

THRACIA *in tres regiones poteſt dividi*, *in* Cherſoneſum, *in tractum* Byzantinum *&* Zagoriam.

Thracia

Thracia terminatur ab Ortu, Ponto Euxino, Boſphoro Thracico, Propontide & Helleſponto; à Septentr. Hemo monte, ſecundum alios Iſtro; ab Occid. partim Macedonia, partim Ripenſi Dacia; à Merid. mari Ægæo. vulgo *Romania* dicitur.

CHERSONEUS *habet civitates*, Gallipolin, Dardanellas, Magiddum, Chirodocaſtrum, Hexamilium, *quò* Seſtum *&* Abydum *trans Helleſpontum refero, Leandri & Herûs amoribus notam.*

Tractus BYZANTINI *Metropolis eſt* Conſtantinopolis, *olim* Byzantium, *nunc* Stampolda *Turcis dicta.*

Aliæ civitates partim ſunt maritimæ, *partim* mediterraneæ, *Ex maritimis aliæ infra Byzantium, ut* Heraclea, Perinthus, Achira; *aliæ ſupra, progrediendo à Meridie verſus Sept. ut* Galata, *ſive* Pera *in cornu Byzantino, &* Neocaſtron.

Mediterraneæ ſunt, Dydimotarchum, Burchoſeme, Eſchibaba, Ciſſus, Philippopolis, Adrianopolis, Trajanopolis, Ænos, Zurarus.

ZAGORIA, *ſive Sagora, habet loca:* Bellum, Siſſopolin, Anchialum, Meſembriam *ſeu* Calliacam, *&c.*

Sequitur DACIA, *quæ eſt vel* cis-Danubiana, *& meridionale Danubii latus attingit; vel* trans-Danubiana, *quæ Septentrionale.*

Dacia communiter vocatur, quicquid eſt regionum intra pontum Euxinum, Thraciam, Græciam, Dalmatiam, Pannonias & Sarmatias.

Cis-Danubiana *vocatur Mœſia ſeu Myſia.* A Sept. habens Danubium;ab Occid. Savum & Dalmatiam ; à Merid. Orbelum ac Hæmum montes; ab Oriente mare Euxinum.

Dividitur antiquitus in ſuperiorem& inferiorem.

Nominatur aliàs SERVIA *ſive* RASCIA, & continetur inter Savum, Danubium,Gabrum (Moravam) fluvios, & Orbelum ac Scardum montes.

Notiores in Superiori *civitates ſunt*, Alba Græca, *Griechiſchweiſſenburg ſive* Belgradum, *ad confluentes Savi & Danubii:* Novogradum. Neſſus *juxta Maßium fl. Dalmatiam à Myſia dirimentem.* Sinderovia, *Hungaris* Zendrevv,Bodon, Orach, Drin, Vidina,Samandria, Priſdena, *&c.*

Myſia inferior *hodie* Bulgaria *continet illam terram, quæ eſt inter Danubium, Pontum Euxinum & ſuperiorem Myſiam. Ejus civitates ſunt*, Sophia, Nicopolis, Syliſtra, Varna.

Trans-danubiana DACIA,*continens tractum mari Euxino,Sarmatia Europæa, Danubio & Tibiſco fluviis incluſum* ; *diſtincta eſt in* Tranſſylvaniam *&* VValachiam.

Tranſſylvaniæ *urbes primariæ ſunt* VII, Cibinium (*Hermanſtat*) : Corona, *ſive* Stephanopolis (*Cronſtadt*) : Piſtricia (*Nerſenſtadt*). Segesvvaria (*Scheſburg.*) : Megies (*Mydwiſch*) : Zabeſus (*Zaatz*) : Claudiopolis, *ſive* Coloſvvaria (*Clauſenburgk*) : *His adjicitur* Alba Iulia. (*Weiſſenburgk*) : *Bethlehemi Gaboris Principis quondam ſedes.*

VVala-

VValachia *alia* major *eſt*, *quæ* Moldavia *dicitur*, *cujus præcipua urbs eſt* Soczava, *ſedes Vaivodæ*, *reliqua ſunt* Margoſeſt *&* Tariſto: *alia minor*, *quæ* VValachia *dicitur*, *cujus caput eſt* Targoviſco, *ſive* Torvis, *ſedes Vaivodæ: reliqua* Dembrovvitza *&* Braila.

Ad extremam Valachiæ oram ſita eſt *Beſſarabia*, cujus præcipua opida *Kilia*, *Gineſtra*, *Chermen*.

CAP. VII.

De HUNGARIA, POLONIA, TARTARIA & MOSCOVIA.

H*Ungariam Danubio diviſam*, *nos dividemus in partes duas*, Superiorem *&* inferiorem.

Hungariæ à Sept. Sarmatiam Europæam; ab Ortu Tranſſylvaniam Tibiſco; à Merid. Slavoniam Dravo diremptam habet; ab Occaſu Auſtriam attingit.

Superior verſus Poloniam tendit, *cujus urbes vel* in plano, *vel in* montanis.

In plano ſunt Poſonium, (*Preßburg*) *cum arce valida in præcelſo monte*; Filleck; Agria *cum arce* Erlavv; Varadinum (*Wardeyn*) *ad flu. Keres*; Temeſvvar ad *flu. Temez*; Chonad *ad flu. Marons vel Meriſch*; *Solnock ad flu. Tibiſcum*. Tokay, *&c.*

In montanis ſunt civitates (die Bergſtädte) Caſſovia, (*Kaſhaw*) Eperies, Leutsch, Nevvſol, Altſol, Kremnitz, Schemnitz, Czeben, Keſemarck, Nitria, Torna, *&c.*

Inferioris Hungariæ Metropolis eſt Buda (*Ofen*) *cum* Peſto *in objecta Danubii ripa*: Strigonium

(*Graan*;) Comorra *in inſula ejuſdem nominis ad Danubium*; Iaurinum (*Rab*;) Alba regalis (*Stuhl-weiſſenburgk*;) Veſperinum, (*Veſprin*;) Quinque Eccleſiæ (*Fünf-kirchen*;) Dotis, Pappa, Palota, Zigeth, *&c.*

Secunda capitis hujus pars eſt POLONIA; *quæ conſideratur vel* in ſe *tantùm*, *vel* in provinciis junctis.

In ſe conſiderata dividitur in Poloniam majorem & minorem.

Major Polonia à Sept. Boruſſiæ ac Maſoviæ; ab Ortu, minori Poloniæ; à Merid. Sileſiæ & Marchiæ; ab Occid. Pomeraniæ & Caſſubiæ vicina eſt, eamque mediam VVarta fluvius interſecat.

Major Polonia V. *habet Satrapias*, Poſnanienſem, Caliſchienſem, Siradienſem, Landſchicienſem *&* Ravenſem. *quibus accenſetur* Cujavienſis.

Poſnanienſis *habet* Poſnaniam *ad Wartam flu. &* Meſericium, *in finibus Sileſiæ, Marchiæ & Poloniæ.*

Caliſchienſis *habet* Caliſch, Gneſnam, Piſdri, Coninum, Schlupzcam *&* Colo.

Siradienſes *habet* Siradiam, Vieluniam, Petricoviam, (*ubi tribunal regium eſt, & jus dicitur menſibus hybernis, quemadmodum Lublini æſtivis*) Sadeck, Roſprzam, *&* Spicimiviam.

Lanſchicienſis *habet* Lanciciam *ad Bſuram fluv.* Orloviam, Conarcam, Breſiniam, Piateck, *&c.*

Ravenſis *habet* Ravam, Sochaczovviam, Goſtynin, Gabin, *&c.*

Cuiavia *ſive* VVladislavvia, *duas contionet*

et Satrapias, Breſdenſem, *in qua* Radſcho-va, Cruſvvicium, Covolavia; *&* Inoſladienſem, *in qua* Inovvlocz, Bidgoſchia (*Bremergk*) *&* Dobrin.

Minor Polonia tribus *definita eſt Satrapiis*, Cracovienſi, Sandomirienſi *&* Lublinenſi.

Cracovienſis *habet* Cracoviam, *& opida* Biecz, VVonincz, Sandecz, Lelovv, Xyas, Proſſovvitz:

In hac Cracov. Satrapia eſt etiam Sileſia Polonica, *cujus tria ſunt territoria*, Oſvvecinienſe, Satorienſe *&* Severienſe,

Sandomirienſis *Satrapia habet* Sandomiriam, *præterea ſunt in ea*, Checiny, Korczin, VViſlicia, Pilzno, Opoczno, Radomia, Poloniec, Zannichoſt, Zarnovv, Malogoſt, *&c.*

Lublinenſis *Sartrapia habet* Lublinum, *& opida* Caſimiriam, Lulovv, Parcovv, Urzendovv, *&c.*

Provinciæ, quæ Poloniæ ſunt junctæ, *numerantur ſequentia.*

I. ROXOLANIA non MOSCOVVITICA, *quæ &* RUSSIA, *ſive* RUTHENIA NIGRA *ſeu* MINOR *dicitur.*

Hæc hactenus Magno Duci Muſcoviæ non paruit, & citra Boriſthenem eſt ſita, partimque ad regnum Poloniæ, partim ad Ducatum Lithuaniæ refertur.

Ruſſia Polonica ab Ortu & Sept. partim Lithuaniam, Ruſſiam & in ea imprimis Volhiniam, partim Podoliam; à Merid. Tranſſylvaniam; ab Occaſ. minorem Poloniam habet: *dividitur* in V terras, *in* HALICIENSEM, *ubi* Haliez *ad Dnieſtr. fluv.* LEOPOLIEN-

LIENSEM, *ubi* Leopolis (*Reuſch-Löwnberg*) PREMISLIENSEM, *ubi* Przemyſl. BELSENSEM, *ubi* Belz, *&* CHELMENSEM, *ubi* Chelm.

Ruſſia Lithuanica quæ ſita eſt à Sept. inter Polocenſem & Bielſenſem, ab Ortu inter Smolenskenſem & Severienſem Ducatus & Circaſſos populos; à Merid. Podoliam Bug fluvio diſtinctam; ab Occaſ. partim minorem Poloniam, partim Maſoviam habet, *complectitur Palatinatum* BRESSIENSEM, *ubi* Breſſia *ad Bug flu.* VOLHINIAM, *ubi* Luſuc *ad Ster flu.* VVlodzimierz *ad Lug fl.* Krzemieniec. PALATINATUM KIORDIENSEM *ubi* Kyovia, *ad Boriſthenem*; MIECISLAVIENSEM, *ubi* Mieciſlavia, Dambrouna, Copycz, Sklou, Mohilou, Bychou, Reczycza Striſin; VITEBSSIENSEM, *in quo* Vitebsk *ad Dunam fl. &* Orsha *ad Boriſth.*

2. PODOLIA, quæ à Sept. partim Volhiniam, partim Kiovienſem terram; ab Ortu campos Tartaricos & Turcicos habet; à Merid. utrique Valachiæ jungitur, reliquum latus Halicienſis & Bielſenſis terra, nec non pars Volhiniæ claudit, *Præcipuas civitates habet* Kamieniec, Bar, Chmielnik, Braczlavv, VVinnica, Czudnovv, Oczakovv, *quod Tartari tenent.*

3. LITHUANIA, à Sept. Ort. & Merid. Ruſſiam Lithuanicam; ab Occaſ. partem Maſoviæ, Pruſſiam-Samogitiam, Curlandiam & Livoniæ partem habens, *dividitur in* IV *Palatinatus*; *primus eſt* VILNENSIS, *ubi* Vilna *Metropolis*; *hic tres ingentes diſtrictus continet*,

tinet, Oſnamienſem, *ubi* Oſmiana; Braſla-vienſem, *ubi* Braſlavv *non longè à Duna fluvio*; *&* Vilkomirienſem, *ubi* VVilKomirz *ad Swiſtam fluv.*

Secundus Palat. eſt TROCENSIS, *in quo* 4. *diſtrictus*, Grodnenſis, *ubi* Grodno; Kavve-nenſis, *ubi* Kovvno *præcellenti mulſo clarum opidum*; Lidnenſis, *ubi* Lida; *&* Upicenſis, *ubi* Upita.

Tertius Palatin. eſt MYNCENSIS, *ubi* Mynsko; *hic unum diſtrictum habet* Recicien-ſem, *ubi* Rzeczki, *reliqua opida ſunt* Rakavv, Lohoiſco, Boriſſou, Keidanon, Svvislocz Bodroisko *&* Odrazko.

Quartus Palat. eſt NOVOGRODENSIS, *in quo* Novogrodek *& habet duos diſtrictus*, Slo-nimencem, *ubi Slonim*; *&* VVolgovviſcen-ſem, *ubi* VVolkovviska *ad Ros fluvium.*

4. *eſt* SAMOGITIA, quæ ab Occaſu con-tigua eſt Lithuaniæ, Livonibus & Boruſſis intermedia, nulla ferè urbe inſignis, *cujus Metropolis eſt* Roſiene *ad Dubiſſam fl.*

Gens adhuc Idololatriæ Ethnicæ dedita eſt, barbara, in humilibus caſis habitans, ter-ramque ligno non ferro ſcindens. Vide *Atlantem majorem in Lithuania* de ridiculo-ſo eorum matrimonio.

5. *eſt* LIVONIA, hæc inter nervam & Dünam fluvios incluſa; per illum à Sept. & ortu à Moſcovia; per hujus partem à Merid. à Lithuania & Samogitia; ab Occaſu à Cur-landia dirimitur. Aliàs ab Occaſu per mare Balthicum Daniæ ac Svediæ, & à Sept. per ſinum Ruthenicum Finlandiæ objicitur.

Hæc

Hæc dividitur in tres provincias, linguis ut locis à ſe invicem diſtinctas, nim: in ESTIAM, LETTEAM *&* CURLANDIAM.

ESTIA *diverſos habet diſtrictus, quorum nomina ſunt.*

1. Harria, (*Harnlandt*) *in qua eſt* Revalia;
2. Viria, (*Wirlandt*) *in qua* VVeiſenburg, Tolsberg, Borchholm.
3. Allantakia, *ubi* Nerva *&* Nevv-Schloſs.
4. Odenpoa, *in qua urbs mediterranea* Derpt, VVernebec, Helmet *&* Ringen.
5. Iervia, *ubi* VVeiſſenſtein, Lais, Overpolen *&* Vellin.
6. VVikkia, *ubi* Hapſeel, Leal, Lode *&* Parnovv.

LETTEA, *urbes habet* Rigam *cum munimento* Dunamunda *duobus Rigâ milliaribus diſtans*, Kockenhauſen, Creitzburg, Duneburg, *ad Dunam fl. ſita. Item* VVenden *&* VVolmer. *ad Treideram flu.*

CURLANDIA *&* SEMIGALLIA; *in illa ſunt* Goldingen, Candavv VVindavv, Durben, Schrunden, Grubyn, Pilten, Amboten, Haſenpot.

In hac, Mitovia, *aula Ducum Curlandiæ*, Selburg, Bauſchenburg, Dobelin, Dalen, *&c.*

VI. *eſt* MASOVIA quæ latere Sept. & Orientali Lithuaniam; Meridionali Sendomirienſem & Ravenſem Satrapias; ab Occid. Dobrinum & Boruſſiæ Ducalis partem ſibi contiguam habet: *in duas Satrapias diſtributa, in* Polocenſem, *ubi* Polotzko *ad Viſtulam*; *&* Cirnenſem, *in hac eſt* VVarſavvia *Regis domicilium*, Lumbſe *&* Pultovvsky *ad*

Narew

Narew flumen. Kamieniecz *ad Buck fluv.*

VII. *eſt* PODALASSIA,*inter Maſoviam, & Lithuaniam ſita, dividitur in duos deſtrictus, in* Bielcenſem *&* Brogicinenſem : *in ea ſunt* Bielsko, Auguſtovv, Tykoczyn.

VIII. *eſt* BORUSSIA,(hæc à Sept. mare Balticum; ab Ortu Lithuaniam & Curlandiam; à Meridie Maſoviam & Cujaviam; ab Occaſ. Pomeraniam citeriorem, Stolpenſem ſcilicet habet, & dividebatur olim in XII Ducatus;) *quæ olim in* XII *Ducatus dividebatur; hodiè verò duplex eſt*, REGALIS *&* DUCALIS. *In* Regali *ſunt* Dantiſcum, Thorunium *&* Elbinga.

Dantiſcum *totius Europæ granarium, & Emporium munitionibus benè cuſtoditum eſt. Ei ſeptem præfecturæ adnumerantur*, Schlochovienſis, Tuchlovienſis, Succenſis, Derſavienſis, Zuckovienſis, Puczenſis *&* Mirakovvienſis.

Thorunium *in Culmenſi territorio, ubi* Culma, *olim Metropolis; ei accenſetur* Michalovienſe *territor: ubi* Strasburga *&c. Sub* Culmenſi terra VIII *præfecturæ ſunt*, Brodnicienſis, Grudentina, Redinenſis, Golubenſis, Roggenhauſenſis, Brattianenſis, Covalienſis *&* Cobiivanenſis, *&c.*

Elbinga *in Mariæburgenſi ſatrapia, nitida urbs, habet* Mariæburgum, *ubi caſtrum celeberrimum, & quatuor inſuper præfecturas in ſuo Palatinatu, nimirum* Stumenſem, *ubi Stuma;* Mevenſem, *ubi Meva;* Gneovienſem, *&* Stargardenſem, *ubi* Stargard.

BORUSSIA Ducalis cui à Sept. limes eſt mare

mare Balthicum cum lacu Curovienſi & ora Curlandiæ, ab Ortu Samogitia & pars Lithuaniæ; à Merid. Maſovia; ab Occaſu regia Boruſſia: *in* V tractus *dividi poteſt, nimirum, in* eos qui vicini ſunt regiæ Boruſſiæ, qui mari, qui Lithuaniæ, qui Maſoviæ, & qui in medio inter iſtos omnes ſunt poſiti.

Regali Boruſſiæ *vicina eſt* Pomeſania, *inter Culmenſem & Mariaburgenſem Satrapias ſita, &* Hokerlandia, *ad quam præter* Hollandiam, Salfeldeum, Morunga, Oſterroda & Lubenidium *referri poteſt.*

Mari *vicinæ ſunt* Natanginum, Sambia *&* Sudinum.

Lithuaniæ *vicini duo ſunt tractus* Nadravenſis, *cujus præcipua urbs eſt* Inſterburgum, *&* Salavenſis, *in quo ſita eſt* Ragneta *&* Telſa, *quibus annumerari poteſt* Memmella.

Maſoviæ *vicina certum nomen non habet; niſi* Galindiam *eam vocare velis: præfecturas habet plurimas, inter præcipuas ſunt* Likenſis, Soldavienſis, Galgenburgenſis, Neidenburgenſis, Ortelsburgenſis, Ioannisburgenſis, Paſſenheimenſis, Hohenſteinburgenſis *&c*, vaſtæ, amplæ, deſertæ & imperviæ in iſtis locis ſunt ſylvæ, per quas maxima pars Boruſſiæ illius à Maſovia diſtinguitur.

In medio ſive meditullio Boruſſiæ ducalis ſita eſt Barthonia, *ubi* Bartenſtein, *in quo theſaurum Boruſſi ſuum habent reſervatum*; Velavia, Friedlandia, *&c.*

Tertia hujus Capitis pars eſt TARTARIA MINOR, *ſive* Przecopenſis, *ad differentiam Majoris Tartariæ, quæ in Aſia ſita eſt. Hæc* *conti-*

continet præter Tauricam Cherſoneſum, *quidquid terrarum inter Tanaim, Boryſthenem & Sem fluvios videtur. Urbes in Taurica Cherſoneſo ſunt* Przecop, *ubi regia ſedes*, Caffa & Crym.

Extra Cherſoneſum ad oſtia Tanais eſt Aſſovv *Emporium, item* Oczakovv *ad oſtia Boriſthenis, de qua ſupra in Podolia. &c.*

Quarta hujus capitis pars eſt MOSCOVIA, quæ & *Ruſſia alba* vel *Major. Item* ROXOLANIA dicitur, magnique Ducatus titulum obtinet; ipſe magnus Dux appellatur *Czar*, h.e. Imperator. Fines habet ab Ortu Tartariam, ſive Sarmatias Aſiaticas, à quibus Tanai fluvio, Mæotide palude, & Volgâ fluvio diſtinguitur; à Sept. Oceanum glacialem, & ex eo ſinum Grandvicum; ab Occaſu Sueciam, Livoniam & Lithuaniam; à Merid. Poloniam, Daciam, Pontum Euxinum, & Tauricam Cherſoneſum. Longitudo ejus eſt à Promontorio *Lytarmi*, ſive *Cabo de* Oby, ad opidum *Czerkaſſey* ubi *Pſola* fluv. Boriſtheni ſe jungit, milliar. German. CCCLXXX; Latitudo incipit ab opido *Corelenburg* in confinio Finlandiæ & terminatur ad Obium flumen juxta oppidum *Lepin* milliar. Germ. CCC.

Moſcoviæ pars eſt juris Polonici, de qua ſupra, & quæ reſidua Magno Moſchorum Duci paret, cui tamen Poloni nuperis annis victorioſis armis partem aliquam ademere.

Quæ magno Moſchorum duci paret, ab ea, quæ juris Polonici eſt, maximam partem Boryſthene dirimitur, & MOSCOVIA *dicitur, nomen ſortita à Moſchovitarum regia, quæ Moſchovia dicitur ad fluv. Moſquam ſita.*

Urbs

Urbs ampla & populoſa, multis mill. ædificiis famoſa, ſed ligneis & lutoſis. Arx in ea dupla, altera *Kytaygorod*, *Bolſagorod* altera, quas ab una parte Moſcua, ab altera Neglina fluvii alluunt. Ad ſagittæ jactum inde eſt *Curia*, quæ *Opryzna* dicitur, hoc eſt ſeparata habitatio, à Ioanne Baſilide Anno 1565 extructa, in qua Magnus Dux cum præſidio 20000 vel præterpropter ſatellitum ſolitus eſt habitare. Pro his uti & exteris ad potandum proclivibus trans Moſcuam flu. oppidem *Nialeuki* exſtruxit, ubi illis ad nauſeam uſque potare eſt conceſſum. Urbs aliàs diviſa eſt in v. partes, 1 eſt *Kremelena-grod*, (aula Imperatoris) 2. *Kitay-gorod*. (urbs media) 3. *Tzar-gorod* (urbs Cæſarea) 4. *Skorodom*, (urbs exterior) 5. *Streletska ſloboda* (vicus militaris.)

Moſcoviam conſiderabimus uti ad IV *mundi plagas ſuis Ducatibus eſt cincta, ut aliquis in tam vaſto regno appareat ordo.*

Ad partem Orientalem *eſt* I. VLODOMIRIENSIS *Ducatus, in qua civitas* Vlodomiria *36. mill. Germ. Moſcovia diſtans*: 2, NOVOGRODIAE *inferioris ducatus, ubi Civit.* Niſinovegrod, *ad confluentes Occæ & Volgæ ſita, 100 mill. comm. à Moſcovia urbe diſsita.*

Ad Meridionalem *plagam, cingunt eam primò ducatus* RESANENSIS *inter Occam & Tanaim fluvios ſitus, in qua* Reſan *civit* 28. *mill. commun.* Colluga, 36. *mill. ad Occam fluv. ſitæ, à Moſcovia diſtant; pòſt, opidum* Tulla *ad confluentes Tullæ & Vpæ, 36. mill. à Moſcovia. Ad confluentes item Tullæ & Occæ ſitum eſt* Odojum

dojum *ſive* Odio *caſtrum, à quo Meridiem verſus eſt loci paluſtris* Mſeneck 60 *mill. à Moſcovia; caſtrum dirutum, quod vicinorum aſylum eſſe ſolet à Tartaris metuentium.*

Secundò VVOROTINENSIS *Ducatus, nomen habet à civitate* VVorotin, 39 *mill. à Moſcovia diſtante.*

Tertiò SEVERIENSIS *Ducat.* hic finitimum habet ab Ortu Verotinenſem & Reſanenſem Ducat. à Meridie campeſtria deſerta, à quibus per Sem fluv. diſtinguitur; ab Occaſu Lithuaniæ eſt contiguus, à quo Boriſthenes eum dividit; à Sept. Smolenskenſe & Moſcoviticum Ducatum attingit *in quo civitates* Novogrod, Sevversky 150 *mill.* Czernikovv, Potivvolo 140 *mill. à Moſcov.*

Ad partem Occidentalem *inter Moſcoviam & Lithuaniam eſt* 1. *Ducatus* SMOLENSKY *ad Boriſthenem ſitus*, 80 *mill. comm. à Moſcovia, in hoc præter urbem* Smolensko *tria ſunt opida illuſtria*, Drohobus 72, Viaſma 46, & Moſaiska 18 *mill. comm. à Moſcovia diſſidentia.*

2. *Inter Livoniæ & Lithuaniæ confinia imminet Moſcoviæ ab Occ. Ducat.* BIELSKIA, *cujus civitas* Bielha, *non procul à fluv. Duna*, 60. *mill. à Moſcovia.*

3. *Supra Bielskienſem Ducat. verſus Septent. Ducatus eſt* POLOCENSIS, *ubi* Poloczko.

4. *Duc. eſt* RESCHOVIENSIS, *ubi* Reſchovvia & Taropiecz.

5. *Duc. eſt* PLESCOVIENSIS, *ubi* Pleskovv.

6. *Duc. eſt* NOVOGARDIENSIS, *ubi* Novogardia magna.

Ad

Ad Septentrionalem *plagam plurimæ ſunt provinciæ in Ruſſia, ſed remotiſſimæ à regia Moſcovia, ita ut non ſatis ſint exploratæ; nimirum* CONDORA, PIETZORA, OCDORA, & IUGORIA. *Viciniſſimæ ſunt,* 1 *Ducatus* TVVERIENSIS, *inter Rſovienſem & Wlodomirienſem*; 2. ROSTOVVIENSIS, 3. IAROSLAVIENSIS, 4. SUSDALIENSIS.

Poſt has, viciniores ſunt 1. BIELEIESIORO, *hoc eſt album ſtagnum, quod non procul à Novogardia magna abeſt*; In lacu adſito ejuſdem nominis *Bielejezoro* arx eſt, ubi tanquam ad aſylum tempore belli theſaurum reponit Moſcoviæ Dux.

2. GALETZ, *quod Caſan regnum Tartari in Aſia attingit.* 3. VVOLOGDA, *quæ medium inter duo priora loca obtinet.*

Proxima ab iſtis eſt primò ab Oriente VVIATKA. *Secundò, in Sept.* USTIUGA. non procul hinc in denſis ſylvis eſt Iuhri opid. ad Mezenam fluv. in terra Iuhra, ex qua olim Ungari prodiiſſe feruntur, ut ſuprà meminimus.

Tertiò in Occaſ. DVVINA, *ubi emporia* Colmogro, S. Nicolai & Michaëlis Archangèli.

His remotiſsimis Roxolaniæ regionibus adjicitur ultima, quam à civitatis nomine PERMIAM *vocant. Tantum de hoc capite, & omnibus continentibus Europæ regionibus.*

CAPUT

CAPUT VIII.

De NORVVEGIA, SUEDIA *&* GOTHIA.

H*Actenus fuerunt Continentes Europæ regiones; ſequuntur* PENINSULAE, *nim.* NORVVEGIA, SUEDIA *&* GOTHIA.

Potuiſſemus ad continentes Europæ re-;iones *Iutiam* & *Scaniam* ſub imperio Dani-o ſitas referre, illam Holſatiæ, hanc Gothiæ icinam; ſed noluimus pacificum Daniæ re-num rumpere; Sponte hoc fecimus, non rravimus, quod benevolus lector nobis gnoſcet. *Norwegia* longo tractu Oceano ob-enditur; ab Oriente *Savonem* montem ha-ens, quem hodiè incolæ 4 nominibus di-;inguunt, quæ ſunt *Fille Fiell*, *Dofre Fiell*, *'uut Fiell*, *Skars Fiell*; à Meridie Daniam, ab)ccaſ. & Septent. Oceanum Germanicum : Septentrionalem.

Norvvegiam *conſiderabimus in ſe*, *&* *cum* *'ovincia cohærente* Finmarchia.

In ſe conſiderata V. habet præfecturas & Ar-:*s Regias, Regno Daniæ ultra duo ſecula indiſſo-ibili nexu & fide unitas: quæ ſunt* BAHUSIA, .GGERSHUSIA, BERGERSHUSIA, NI-ROSIA, *&* VVARDHUSIA.

1. BAHUSIA, *arx in rupe excelſa ad fines uecorum ædificata præfecturæ nomen dedit, in ua eſt opidum* Maſterland, *ſive* Marſtrand *in pulosa peninſula ſitum, nec non opida* Congel · Odovval *&c. præterea ſubeſt huic præfecturæ ·ovincia* VVichia (*vulgò Wyck.*)

 2. AGGER-

2. AGGERSHUSIA *ſub cujus præfectura eſt* Alſloa *ſedes Epiſcopalis* (*indigenis* Opſlo, *exteris Anſlo*) *huic exuſtæ, Sereniſſimus Rex Chriſtianus IV reſtituit novam urbem*, Chriſtianiam. *Subſunt ei*, Tonsberga; Fridrichſtadt, Saltzburg, Schin *vel* Schon. (*ubi ferri, cupri, & argenti fodinæ, & hæ ſub Sereniſſ. Chriſtiano IV Rege nuperè inventæ. verè dixeris has* Indias Septentrionales; *nam fodinæ argento adeò ſunt divites, ut maſſæ puri puti argenti extrahantur quatuor mille Ioachimicorum pondere & pretio, quod in Indiis Occidentalibus nunquam factum.*) Hammaria major & minor Tytemarchia & Hedmarck.

3. *Arx eſt* BERGERSHUSIA: *Ei ſubeſt* Berga, *clarum Norwegiæ emporium, & dives à mercatu piſcis* Bergenſis: *Item* Stafanger *opidum, & Inſula* Scutenes. *Reliqua quæ hanc præfecturam agnoſcunt, ſunt*, Sundhornleen, Nordhornleen, Soghne, Sunfiorde, Noordfiorde, Sundmerleen &c. Bergæ *quoque adnumerantur opidula* VValders, Eſterdal, & Roemſdal, *in continenti ſita.*

4. *Eſt* NIDROSIA, *à Nidero fluv. & Roſa, templi quod eſt nomen. Vulgò* Druntheim, *Olim metropolis Norwegiæ: ſub ſe habet plurimas & amplas præfecturas.*

5. *Eſt* VVARDHUSIA *verſus* Arctum *inſula* VVarda.

Provincia Norwegiæ cohærens eſt Finmarchia, *cum tractu maritimo* Trunſolen, *quibus præfectus Wardhuſienſis jus dicit; in illa civitas eſt* Jetaborg.

Sequitur SVEDIA, *quæ à Sept. mari Pietcaorike;*

zoriko; *ab Ortu Lappia*; *à Merid. mari Baltico*; *ab Occaſu Norwegia clauditur* ; *& ſinu Finnico, Boddicoque interluentibus in duas quaſi partes diſcriminatur. Regni caput eſt* Stockholmia: *palis ligneis ſuperſtructa in ſtagnis marinis ſita. Milliarib. aliquot inde diſtat verſus Septent.* Upſalia, *ubi Academia & verſus Merid.* Nicopen, *maritimum opidum.*

Provinciæ regni ſunt I. BOTNIA *utraque* Orientalis *&* Occidentalis, *quibus ſubſunt* Tornia, *ubi emporium* Tornia; Angrimania, *&* Corelia, *ubi* Corelenburg;

2. LAPPIA (*vulgò* Lappenland) *cujus pars Orientalis Muſcoviæ Duci* ; *Occidentalis Suediæ Regi paret.*

3. FINNIA *ſive* FINLANDIA *cujus duæ præcipuæ urbes ſunt* Abo, *ubi ſedes Epiſcopi, &* Viburg *in extremo ſinus Finnici receſſu, celebre emporium* ; *reliqua hujus regni, quia rarò ſalutantur, heîc omittimus.*

Reſtat GOTHIA *ſive* Gothlandt, *quæ vel* Occidentalis, *ſive* VVeſter-Gothia, *ubi* Scaa *&* Gothenburg; *cum arce propinqua* Elsborg; *vel* Orientalis *ſeu* Oſtro Gothia, *ubi* Lincoping; *vel* Auſtralis, *quæ &* Smalandia *dicitur, ubi* VVexo *&* Calmar, *arcem & portum habens ad fines Daniæ, &c.*

CAP. IX.

De Inſulis Europæ, *in* Oceano.

INſulæ in Europa ſunt vel in Oceano, *de quibus in hoc capite agitur* ; *vel in* mari Baltico, *vel in* mari Mediterraneo.

Inſulæ in Oceano, ſunt vel in Oceano Occidentali, *vel* Septentrionali *ſitæ.*

In Occidentali ſunt ANGLIA, SCOTIA, & HYBERNIA, *cum minoribus adjacentibus.*

Anglia à Septent. Scotiam; ab Ortu Belgium & Galliæ partem per Oceanum Germanicum & Britannicum diremptam habet; â Merid. Oceano britannico;.ab Occid. Hybernico clauditur. Longitudo ejus à promontorio *Waymouth* prope Dorceſtriam ad Oceanum Britan. ſe extendit ad *Barwykum* opidum in finib. Scotiæ ad Ocean. German. milliar. LXXX Germanic. Latitudo menſuratur ab opido *S. Davis* in Comitatu Pembrok, ad opid. *Iarmouth* in Norfolcia milliar. Germ. LX, Latitudo verò major eſt ab extremo Cornubiæ ſive Cronvvalliæ, *the Landes end*, ad promontorium *Sandwich* in in Cantio, milliar. LXX.

Anglia *dividitur in* LOËGRIAM *&* CAMBRIAM.

LOEGRIA *eſt vel ſuperior, vel inferior.*

Superior à finibus Scotiæ deſcendit ad utrumque Angliæ æſtuarium *the Washes* in mari German. & Sabrinæ fluvium in mari Hybernico.

Ejus provinciæ ſunt, 1. NORTHUMBRIA, *in qua celebriora loca*, Barvvijck *&* Nevvcaſtle.

2. CUMBERLANDIA, *vel* Cumbria, *ubi* Carlile, *reliqua opida ſunt*, Ceſvvike, VVirkinton, Bulneſſe, Perith *&c.*

Inter has duas provincias intercurrit *murus*, olim *Picticus* dictus à Pictonibus, qui incipit

cipit à Carlile in Cumbria & deſinit apud Nevvcaſtle in Northumbria, Limes Romanæ provinciæ fuit; cujus longitudo CXXII millium paſſuum. Opus Severi, qui, *Oroſii* verbo, partem Inſulæ à cæteris indomitis gentibus vallo diſtinguendam curavit. Vallum iſtud magna foſſa crebriſque turribus munitum; Murus VIII pedes latus, XIII altus fuit, *Bedæ* aſſertione: Ejus hodiè non ſolùm veſtigia, ſed etiam fragmenta in longa ſpatia porrecta & tantùm pinnis nudata exſtant, hodieque conſpiciuntur, teſtimonio *Camdeni.*

3. DUNELMENSIS EPISCOPATUS, *in quo* Dureſme *ſive* Dunelmum, Derlington, Standerope, Hartlepole, *&c.*

4. VVESTMORLANDIA, *in qua opidum primarium* Apallaba *hodie* Apelby, *item* Kandale *lanificio famam habens.*

5. LANCASTRIA, *in qua* Lancaſter, Mancheſter, Ormeskirke.

6. CESTRIA, *in qua* Cheſter, *ſive* VVeſtcheſter, *item* Finborrovv *&* Condate, *hodie* Congleton.

7. SALOPIA, *in qua* Schrevvsbury; *reliqua item*, Biſhops Caſtle, Ludlovv, Bridgnorth, Nevvcaſtle, Skithon, Holgot, Routon, *&c.*

8. EBORACUM, *in quo* Yorck, Doncaſter, Kingſton, *& alia, numerat enim* 39 *opida.*

9. LINCOLNIA, *ubi* Lincolne, Stanford, Grantham, Ancaſter, Spalding, Boſton, *&c.*

10. NOTINGHAMIA, *in qua* Nottingham, Schirevvood, Suthvvell, Nevvarke, Mansfeld, Blith, Soroby, VVorkenſop, *&c.*

11. DARBIA, *ubi* Darbey, S. Diacre, VVorkeſvvort, Bakevvel.

12. STAFFORDIA, *in qua* Stafford, Lichfeldia, Burton, Utceſter, Stone, Drayton, Baſſett, Tamevvorth, Vulfruns hampton, Theothenhall, VVeadesbirigh, *&c.*

13. LEICESTRIA, *in qua* Leiceſter, Longborrovv, Luttervvorth, Hinckley, Boſvvorth, *&c.*

14. RUTLANDIA, *in qua* Uppingham, Okehamia.

15. VVARVVICUM, *ubi* VVarvicke, Leamington, Uchindon, Harbury, Mancheſter, Coventry, Stradford.

16. VVIGORNIA, *vulgò* VVorceſtershire, *ubi* VVorceſter, Eovesham, Bromesgrave, Durtvvich.

Loëgria *inferior in Oceanum Britannicum procurrit; Ejus provinciæ ſunt* 1. NORTFOLCIA, *in qua* Thetford, Norvvich, Yarmouth, Aſchelthorp, Dis, Schetton, Skulton, Attleburgh, VVamburne, Lyne, Svvaffham, Nort-Elmeham, Dereham, VVimondham, Jeborrovv; *& alia, quæ numerum* XXVII *faciunt.*

2. SUFFOLCIA, *in qua* Sudbury, Ixning, S. Edmunsbury, Bretenham, Hadley, Ipsvvich, Debenhamia, Oreford, *&c.*

3. ESSEXIA, *in qua* Maldon (*olim Camolodunum*) Colcheſter, Leiton, Beamfleott, Leeg, Rochford, Angre, Raleg, Dunmovv, Plaiſſy, Chelmerford, Ithancheſter, Earles; Colne, Barklovv, VValden, *&c.*

4. MIDLESEXIA, *in qua* Londinum, *totius Britanniæ compendium; reliqua ſunt*

Uxbridge,

Uxbridge, Draiton, Stanes, Radeliff, *&c.*

5. CANTIUM, *vulgò Kent, cujus urbs primaria eſt* Cantuaria (*Canterbury*) *in qua Archiepiſcopi ſedes; Reliqua ſunt* Dovern, Hith, Rumney, Sandvvich, Graveſend, Rocheſter, Reptaceſter, *&c.*

6. SURRIA, *in qua opida* Godelminge, Ockley, Effingham, Kingſtone, Merton, Croydon, Beddington, VVimbledon, VVandleſvvort, the Bourrough, *vel* Southvvorke.

7. SUTHSEXIA, *in qua ſunt opida* Chicheſter, Arundel, Levves, VVinchelſey, *&c.*

8. SOUTHANTONIA, *in qua* Southhamton, VVintonia *ſive* VVintcheſter. Ringvvord, Chriſt Church, VVhorvvell, Andover, Rumſey, Portſmouth, Cingſclare, Odiam, Silceſter, *&c. numerat opida mercatoria* 18.

9. DORCESTRIA, *in qua* Dorcheſter, Birt-Port, Lime, VVeymouth, Poole, VVarhavv, Schiburn, Sturminſter, VVinburne, *&c.*

10. DEVONIA (*vulgò Denshire,*) *in qua* Exceſter, Plimmouth, *ubi portus celebris, Franciſci Draci patria;* Lidſton, Plimpton, Modbery, Dermouth, Exminſter, *&c.*

11. CORNUBIA, *quæ &* Cormvvallia; *in qua opida* Heilſton, Peryn, Arvvenak, Truro, Grampound, Fovvy, Leſtuthiel, Leskerd, Bodman Saltashe, S. Iees, S. Colombs, Padſtovv, Stovv, Straton, Tamerton, Lanſtuphadon *& portus celebris* Faulmouth, *&c.*

12. SOMERSETUS, *in quo* Briſtolia, VVelles, Bathe *ob aquarum calidarum ſcaturigines.*

13. VVITLONIA, *in qua* VVilton, Malmesbury, Crecklade, Calne, Chippenham, Trubrighd, Sarisbury, Marleborovv.

14. BERCERIA (*vulgò Barckshire*) *in qua* Farendon, Abbendonia, VVantage, VVallingford, Hogerford, VVidehay, Nevvbury, Reading, Biſtleham, Maidenhead, VVindſoore, *&c.*

15. GLOCESTIA, *in qua* Gloceſter *ad Sabrinam* fluv. Tevvkesbury, Deorhiſt. Campden, VVinchelſcombe, Circheſter, *&c.*

16. OXONIUM, *in qua* Oxford, *ubi Academia, (collegiis* XVI, *&* VIII *aulis inſtructa. It. opida* Blabac, Barford, Minſterlouell, VVhitney, VVoodſtock, Bambury, Burceſter, Tama, Dorcheſter, VVatlington, *&c.*

17. BUCKINGHAMIA, *à fagis*, bůcken *Saxonicâ lingua*; *in hac ſunt* Buckingham, Marlovv, Higvvicham, Colbroke, Amirsham, Crendon, Stony, Stratford, Oulney, Nevvport, Panell.

18. HERTFORDIA, *in qua* Hertford, VVatlingſtreat, (*Tacito Verulamium*) *cujus loco hodiè* S. Albans *opidum floret*, Roiſton, Aſchvvell, Biſchops Startford, *&c.*

19. BEDFORDIA, *in qua* Bedford, Odil, Bletnesho, Eaton, Dunſtable, *&c.*

20. NORTHAMPTONIA, *ubi* Northamton, Brakeley Dorceſter, Grafton, Daventrey. VVedon, Higham, Oundale, Peterboro, VVelledon, *&c.*

21. HUNTINGDONIA, *in qua* Huntinghdon, S. Jues, S. Needes, Cunnington, *&c.*

22. CANTABRIGIA, *in qua* Cantabrigia, *ubi Academia* XIV *Collegia habens*; *inſuper opida in illa ſunt*, Roiſton, Roch, Burvvel, Elye.

Hactenus de Loëgria; *ſequitur* CAMBRIA *ſive* VVALLIA.

Provincia hæc primogenito Regis Angliæ paret, qui VValliæ Princeps dicitur, ut primogenitus in Gallia Delphinus. Nos provinciam hanc explicaturi inchoabimus à Comitatu Pembrok, & ratione mappæ circuitum faciemus uſque ad Flintshire, ut uno quaſi oculo ſitum lector citò emetiri poſſit.

Cambræ *provinciæ ſunt*, 1. PEMBROCHIENSIS *in qua* Pembrok, Tenby, Harlordvveſt, Menevia *ſive* S. Davids. *& portus* Milfordhaven, *qui inter Europæos tutior cenſetur.*

2. CAERMARDENIA, *(Latinis Maridunum) in qua* Caermarden, Kidvvelly novum & vetus.

3. GLAMORGANIA, *in qua* Landaff, Caerdiffe, Covvbridge, Neath, Svveynſey, Loghor.

4. MONUMETHENSIS, *in qua* Monmuth, Chepſtovv, Abergevenny, Nevvport, Iſca.

5. HEREFORDIA, *in qua* Hareford, Lemſter, VVebleja, Ledbury, Roſſe.

7. RADNORIA, *in qua* Radnor.

7. BRECHINIA, *ſive* Brecknockshire, *in qua* Brecknock, Buelth, Hay Buelth.

8, CARDIGANIA (Ceretica) Cardiganshire

ſhire *Anglis*, *in qua opidum* Cardigan, Aberiſtvvith.

9. MONTGOMERIA, *in qua* Montgomery, Lanvvilling.

10. MERIONITHIA, (*Mervinia Latinis*) *in qua* Harlech *caſtrum munitum*; Traithmaur *&* Trait Bocham *duo aſtuaria*, *majus & minus*.

11. CAERNARVANIA (*Anglis Caernarvonshire*) *Latinis Snaudonia & Ardonia*; *In hac eſt* Bangor, *vide* Camdenum.

12. DENBIGIA, *in qua* Denbigh, *&* Ruthyn.

13. FLINTENSIS *provincia*, *Anglis* Flintſhire, *in qua opid.* St. Aſaph, Flint, Ruthlan.

Hæ omnes de Anglia dictæ provinciæ à Regibus titulo Comitatus ſunt donatæ, quos *Shires* appellant.

INSULAE MINORES *Angliæ adjacentes ſunt* V:

1. MONA, (*Anglis* the Yle of Man.)

Jacet inter Boreales & Britanniæ partes; longitudo ejus eſt à Sept. in Meridiem xxx, latitudo quâ maxima eſt, xv, quâ minima VIII, milliar. Italicorum.

Opidorum præcipuum eſt Ruſſin, *Deinde* Duglas, *ubi portus commodus & mercatu celebris. Ad Occid. eſt* Balacury, *Epiſcopi ſedes*, *It* The Pyle, *munimentum in Inſula propè adſita*; *ſicut ad Auſtralem plagam eſt Inſula parva*, The Calf of Man *dicta*.

2. ANGLESIA, *in mari Hibernico Angliæ propinquior*, *& in ea Wallia*, *ubi Comitatus Caernavan*; *Opidum primarium eſt* Beaumariſh,

riſh, *deinde* Nevvburge *&* Aberfravv, *cum promontorio* Holyhead, *&c.*

3. VECTA *ſive* VECTIS, *Vulgò* VVight in Oceano Britannico prope Southamtoniam ſita; longitudo ejus inter Ortum & Occaſ. xx mill. paſſ. latitudo XII mill. paſſ. eſt, altero latere ad Boream, ad Auſtrum altero converſo.

Opida celebriora ſunt Nevvport, Brading, Nevvton, Jarmouth, Scharpnode, *duo caſtella*; VVorſley, VVeſtcouvve *&* Eaſtcovve, *in faucibus Neaporti* Sandham *caſtrum.*

4. *Eſt* GARNESEY Hæc Inſula ut & proxima *Ierſey*, olim ad Normandiam relatæ fuerunt, ubi etiam earum ſitus eſt, in Canali Anglico ſive mari Britannico intra Britanniam & Normandiam. *Opidum habet* S. Petri.

5. *Eſt* JARSEY, *in quo caſtrum munitiſſimum* Montorguel, *colli impoſitum, quod habet præfectum, qui univerſæ Inſulæ jus dicit.*

Tantum de ANGLIA: *Sequitur* SCOTIA; cujus termini ſunt à Sept. Oceanus Deucaledonius & Orcades Inſulæ, ab Occaſ. mare Hibernicum & Hebrides Inſulæ; à Meridie Tueda, Eſca, & Solvveja fluvii cum monte Cediotâ; ab Ortu mare Germanicum. Longitudo ejus eſt à Meridie, ubi Promontorium *the Mule* ſive *Galloway*, Hiberniam verſus, in Septentrionem ad Promontorium *Dunsbyheat* verſus Orcades, milliar. German. LXX; latitudo ab Occaſu, ubi promontorium *Ardermouthead* propè Inſulam *Mulam*; in Ortum ad promontorium *En-*

guhan eſt milliar. Germ. L.) *Omnem autem Scotiam* Grampius mons *ab Occaſu in Ortum tendens, in duas dividit partes; ita ut altera ſit* Septentrionalis; *altera* Meridionalis: *utriuſque videbimus* Provincias *cum* Inſulis adjacentibus.

SCOTIAE Septentrionalis, *ſequentes ſunt provinciæ.*

1. STRATHNAVERNIA, *in qua aliquot caſtra verſus Orcades.*

2. CATHNESIA, *in qua promontorium* Dunesbe, *&* Girnego; *nec non* Catnes *&* Ackyrgill *caſtella ad mare Germanicum.*

3. SUTHERLANDIA, *in qua* Dorno *&* Clyne *maritima opida*, nihil hic memoratu dignum propter montes candidi marmoris, cujus uſum, quia luxuriei ſunt ignari, incolæ ignorant.

4. ROSSIA, *in qua* Tayn *ad fl. Tayn*, Tarbart, *&c.*

5. MORAVIA, *vulgò* Muray, *ubi* Elgin, *ad Loxiam fl.* Spyne *caſtell. &c. &* Neſſum.

6. LOQUUHABRIA, *in qua* Kyntail.

7. ABRENETHEA, *nunc* Strathdee, *in qua* Aberdon, *ubi Academia.*

8. ANGUSIA, *in qua* Brechin.

Scotiæ Meridionalis *ſequentes ſunt provinciæ;*

1. PERTHIA, *in qua* Dunckel.

2. FIFA, *ubi* fanum S. Andreæ. Cuprum, *&* Abrenethium.

3. STRIVILINGIA, *in qua* Sterling *&* Dunblain.

4. CUNINCHAMIA, *in qua* Yrvven *&* Ayr.

5. CLI-

5. CLIDESDALIA, *in qua* Glaſquo, Lanryck, Hamilton *caſt.*

6. GALLOVIDIA, *in qua promontorium Scotiæ extremum* Gallovvay.

7. LAUDONIA, *in qua* Edynburgum, *regia ſedes & totius regni caput, ſitu editiore inter montes, ut Praga in Bohemia; Item* Dunbar, *&c.*

8. MARCIA, *in qua* Bervicum *maritimum opidum,* Hovvyn *caſtrum,* Kelſo, *&c.*

Inſulæ *Scotiæ adjacentes ſunt* HEBRIDES, *&* ORCADES.

Hebrides *in mari Deucaledonio ad Scotiam Occidentalem ſunt ſitæ, quarum numerus eſt* XLIV, *e quibus præcipuæ ſunt*, Leviſſa, Euſta, Skye, Mula, *&* Ila.

ORCADES (*vulgò* Orkney *numerantur* XXX *& amplius, quarum caput* Pomona *eſt, in qua* Kirkvval.

Sitæ hæ ſunt ad Septentrionalem Scotiæ plagam, è quibus ſerpentes & venenoſa animalia natura ejecit. Incolæ utuntur linguâ Gothica, quia Gothi has olim tenuerunt, & ab omni antiquitatis memoria pars Norvegiæ regni fuerunt, ad quod etiamnum pertinent. Nam Rex Daniæ & Norvegiæ nunquam ſuo juri in eas renunciavit, quidquid contrà Hector Boëthius, Buchananus, aliive archivorum Regum ignari ſtatuere videantur. Sed Chriſtiano primo Rege Daniæ & Norvvegiæ Inſulæ Orcades hypothecatæ fuerunt, & jure antichreſeos Jacobo III Scotorum Regi propter dotem filiæ Margarethæ quinquaginta mill. flore-

norum Rhenenſ. reſtantem conceſſæ, quas jure reluitionis ſeu repignorationis Rex Daniæ & Norv. oblatâ dicta ſumma, ſæpius repetiit, & ſecundum puncta matrimonialia Scotor. Rex eas reſtituere ſemper tenetur proprietario Domino Reginim. Daniæ & Norvvegiæ.

Ita ſe habet Scotia; *ſequitur* HIBERNIA, *ſive* Irelandt.

Hæc undique Oceano clauditur, & ab Ortu Angliæ, tum & Scotiæ parti obverſa eſt. Longitudo ejus maxima eſt milliar. German. LX; latitudo autem XXX.

Provinciæ ejus ſunt, I. ULTONIA *ſive* Ulſter, *in qua opid. primarium eſt* Armagh, *ſedes Archiepiſcopi, &* Doun.

Aliàs Ultonia dividitur in citeriorem, & ulteriorem: Citerior tres continet comitatus. *Louth, Down* & *Antrimme*: Ulterior VII, *Monahon, Teroen, Armagh, Colrane, Donegall, Fermanagh* & *Cavan*.

2. CONNACHIA, *quæ in* VI *Comitatus distribuitur*, Clariæ, Letrimmæ, Galvveiæ, Reſecomin, Majo, Sligô; *urbes primariæ ſunt* Galvvey *&* Clara.

3. LAGENIA, *Anglis* Leynſter,) *in qua primaria urbs* Dublinia, *regni metropolis, ſedes regia, & Archiepiſcopalis, cui pro illuſtrandis ſtudiis Regina Eliſabetha adjecit Academiam, altera eſt* VVexford.

3. MOMONIA (*Anglicè Munſter*) *in qua eſt* VVaterfordia, *non poſtrema Hiberniæ civitas, ubi portus tranquillus & tutus.* Limmiricum, *ad Sannonium fluvium.* Corcagia, *Anglis*

glis Korkekinſalia, Roſſia, Liſmoria, Clonmella, Caſſel *&c.*

Tantum de Inſulis in OCEANO OCCIDENTALI: *ſequuntur Inſulæ in* OCEANO SEPTENTRIONALI, *ſeu* hyperboreo*: quæ ſunt*; 1. ISLANDIA, à perpetua glacie nomen habet, aliàs & *Snelandia* à nive dicitur, poëtis *Thule* dicta & verſibus decantata. Longitudo ejus fertur CXLIV, latitudo LXV, milliar. Germanicor. Dividitur ſecundum IV mundi cardines in Oriental. Merid. Occidental. & Septentrionalem. *Vrbes præcipuæ ſunt* Halar *&* Skalholt, *ubi Epiſcopi & ſcholæ. Deinde arx regia* Beſtede, *quæ præfecto Regio, quem Rex Daniæ & Norwegiæ eò mittit, cui hæc Inſula paret, domicilium præbet. Inſuper mons* Hecla *ſempiterno æſtuans igne, non procul inde ſulphuris fodinæ.*

2. GROENLANDIA, *Inſula magna ſed magnam partem adhuc incognita. In litora cognita Rex Daniæ & Norwegiæ optimo jure, ut & in reliqua Septentrionalia exercet imperium, quippe ſunt Inſulæ multa ſæcula ad Norvegiam pertinentes, licet ſint aliqui qui nullo juris fundamento uſurpare hanc inſulam inſcio & inſalutato Rege audent. Ibi montes*, Spitzbergen, *quibus prope balænarum dives captura.*

3. FRISLANDIA *à Meridie oppoſita Groenlandiæ, ab intenſo frigore nomen habet; Incolæ piſcaturâ rem faciunt. Imperium cognoſcit antiquitus Regis Norvegiæ, licet ſint qui Anglo illam attribuant.*

FARRAE *inſulæ, numero* VII, *præcipuum oppidum eſt* Farre.

5. SEE-

5. SCETLANDIAE *inſulæ*, *ſive* HETLANDIAE, *quæ Regi Daniæ & Norveg. abſolutiſſimo jure ſubjectæ ſunt.*

6. NOVA ZEMBLA., *Inſula ſub gradu* LXXV *altitudinis, inclementiſſimi aëris, intenſiſſimique frigoris, hominibus vacua & campis graminoſis, urſis verò & carni-voris beſtiis plena.* Vide navigationes Batavorum, &c.

CAPUT X.

De Inſulis in Mari Baltico.

IN *mari Baltico eſt nobiliſſimum* DANIAE *regnum, omnibus Europæis gentibus cognitum & pervium; Sinubus marinis variè interciſum, conſtans partim ex* Inſulis, *partim ex* Peninſulis.

Regnum Daniæ undique mari alluitur, niſi quod ab Ortu æſtivo Sueciam; ab Occaſu æſtivo Norvegiam, & à Merid. Germaniam attingit. Diviſionem nos fecimus in peninſulas ſive regiones continentes, & Inſulas, ut ſepararemus Jutlandiam & Scaniam firmæ terræ in parte adjacentes ab Inſulis undique mari cinctis.

Peninſulæ *duæ ſunt, una* Orientalis, Scandia; *altera* Occidentalis Jutia, *ſive* Jutlandia.

SCANDIAM *videbimus cum conterminis* provinciis & Inſulis.

Scandia, quæ & *Scandinavia*, vulgò *Schonen*, & *Scania* dicitur, necnon *Schon-Dania* quaſi bella, pulchra Dania, à Septent. Norvegiæ ac Sueciæ finitima eſt, aliàs à mari allui-

alluitur, & per Oreſundam tum à Germania, tum à Schialandia ſive Zeelandia dirimitur. Longitudo ejus XVIII, latitudo XII cenſetur milliarium à promontorio Scaniæ cui nomen *Valſtèrboem*, ad opidum *Engelholm*, Hallandiæ vicinum.

Scandiæ *ſive* Scaniæ *primaria urbs eſt* Lundia (Lund.)

Heîc ædes Laurentiana cathedralis videnda; in qua tria viſu digna; *Crypta ſubterranea*, cui chorus ſuperſtructus; *Horologium*, & *altare* magnæ fabricæ.

Deinde Coronia (Landscrone) *civitas maritima cum arce à Chriſtiano III exſtructa.*

Malmogia (*Danicè* Malmoe, *exteris* Elleboge) *urbs arce, vallo ac foſsis probè munita; forum habet ſpatioſum & portum grandiorum navium capacem, ſed ab opido remotiorem.*

Helſingoburgum (Elſenborg) *arce in excelſo monte, ad celeberrimum Oreſundæ fretum, cui ex oppoſito reſpondet* Cronenburg *arx regia.*

Conterminæ *ejus provinciæ ſunt* HALLANDIA; *&* BLEKINGIA.

HALLANDIA ad Sept. habet Norvegiam; ad Occaſ. Sinum Codanum; ad Meridiem, Scaniam; ad Ort. Gothiæ partem. Longitudo ejus ſe extendit à promontorio *Kol*, (indigenis dictum *Hallands-Ars*) ad arcem ferè *Elsborg* ſub Suecis, mill. German. XVI. ſi litus legere vis.

In HALLANDIA *urbes maritimæ ſunt* Laholmia (*vulgò Laholm.*) Helmſte, *à Chriſtiano IV Rege non ita pridem munitum.* Valckenborgh *ad fluv. ejuſdem nominis.* VVarburgum (*VVaers-*

(Waerſbergen) munitum opidum cum arce, Suecis oppoſitum propugnaculum.

Præter has civitates habet portum *Conſbacenſem* & opidum *Consback*; reliqua ad *Monſterſundam* ſunt *Vlymenes*, *Goſervaer*, &c.

BLEKINGIA, *circumdata Sconia, Sueciâ, & mari Baltico. præcipua opida habet*, Drelborgh, Uſtede, Sandhamer, Chriſtianſtadt *à Rege Chriſtiano IV condita*; *inde non procul abeſt* Ahuſium (*Ahuys*) Selsborg, Elenholm, Rottenbuy, *&* Chriſtianopolis *à Rege Chriſtiano IV contra Suecorum Calmariam exſtructa.*

INSULAE *ad Scandinaviam referuntur*, 1. BORNHOLMIA, 4. *milliar. circiter à Scania in mari Baltico ſita, cujus longitudo* IV, *latitudo duor. milliar. Germ. eſt*; *Ejus opida ſunt* Nex *ad Ortum*, Rattenby *ad Occaſum.* Suaneke *item*; *cum arcibus binis* Sandvico *&* Hamershuſio. Inſula alioquin dives pecoribus, butyro, ſevo, lana, & frumento.

GOTLANDIA, (*vulgò Gutland*) *inter Sueciam & Curlandiam ſita*; *longitudo ejus fertur milliar.* XVIII, *latitudo* V. *In ea eſt urbs* Visbuy; nobiliſſima olim propter mercaturam in omni Septentrione; verùm hodiè antiquum ſplendorem in ruderibus tantùm oſtendit; arx ei adſita, Proregis Daniæ ſedes; Magnus ibi proventus è ſaxo (*vulgò Gottlanſe ſteen,*) & abietibus proceris, è quibus mali navibus accommodi fiunt.

Præter Visbuy *ſunt ibi* VVeſtergaru *& alii portus.*

3. OSILIA (*Vulgò Oeſel*) *Livoniæ finibus adſita*;

Longi-

Longitudo ejus eſt XIV, latitudo VII milliarium. Univerſa regno Daniæ paret; Hafniâ LXXX circiter milliar. diſtans. *In ea eſt* Areusburgum, *regia civitas & caſtrum munitum, cui præſidet Regius præfectus.*

Præterea ibi opida ſunt Oeſel, *verſus Occaſ. uti* Arensburg *verſus Ortum; &* Sonneburg *verſus Septentrionem ſita.*

Occidentalis *peninſula Daniæ eſt* JUTIA *ſive* Jutlandia, *quæ &* Cimbrica Cherſoneſus *dicitur.*

Iutia ab Occid. & Septentrione mari Germanico; ab Ortu Fioniâ in parte, & mari Baltico; à Meridie Eidera fluvio terminatur. Longitudo à Promontorio Schagen, Holſatiam verſus eſt LIII, latitudo XX milliar. German.

Peninſula hæc dividitur in Septentrionalem, *&* Meridionalem.

Septentrionalis *in quatuor Iuriſdictiones, ſecundum Epiſcopatus, ſubdividi poteſt: quæ ſunt* RIPENSIS, ARHUSIENSIS, VIBURGENSIS, *&* ALBURGENSIS.

RIPENSIS *Diœceſis habet Metropolim* Ripã *ad litus Occidentale, ubi munitum ſatis caſtellum.*

Portus unum milliare diſtat ad urbe; non longè indè abſunt inſulæ *Manu, Fanu, Rem, Silt. Foren, & Ameren,* nautis probe cognitæ. In hac Diœceſi Arces regiæ decem, nobilium centum, Parochiæ agrariæ CCLXXXII numerantur.

Ripam excipit I. Coldinga, *cum arce* Arnsburgh *à Chriſtiano III egregiæ hujus formæ, quam hodiè habet, auctore exſtructa.*

Huic

Huic propè eſt fluv. *Ripa*, utramque Jutiam ſeparans, cui impoſitus pons, (à quo vicinia *Broberrit* vocatur) Regi vectigalis, pervius quotannis quadraginta mill. bobus & amplius; nec non equis pari numero qui è Jutia per Holſatiam in Belgium & aliò venales educuntur, quorum in ſingula capita cenſus eſt deſtinatus. Hinc vires regni Danici in parte æſtimari poſſunt, tùm ad ſuſtentandos, tum ad debellandos homines. Et licet numeroſum hoc armentum aliis regnis largiatur, numeroſius tamen domi manet pro alimentatione & propagatione, tanta benedictio nulli Europæo regno contigit.

2. VVela *ad mare Balticum, platearum ſymmetriâ clara.*

3, VVarda

4. Ringcopia, *utraque fluvio eodem gaudens, qui in mare Germanicum infra hoc opidum labitur.*

5. *Opidum eſt* Halſterbroa, *&* 6 Lemviga.

ARHUSIENSIS *Diœceſeos caput eſt*, Arhuſienſium *mare adſitum Baltico, prope ſe habens Inſulam* Samſoe.

In hac Diœceſi arces v. parochiæ agrariæ CCCIV, & civitates VII numerantur.

2. Horſneſium, vulgò Horſens. 3. Randruſium, *ſive* Randerſen. 4. Ebeltud. 5. Grimſtadium. 6. Hobroa, *vulgò* Oruntbuii. 7. Mariagrum *ſive* Mariaker.

Inſulæ ad hanc diœceſin pertinentes, ſunt. 1. *Samſoe*, quæ 5 parochias habet. 2. *Hielmia* major, ſive *Grotholm*. 3 *Thuna*, ſive

Tons.

Tons. 4 *Melſa.* 5 *Ramſoa* , 6 *Endelavia*, 7 *Hiarnoa* , 8 *Kidtholmia.* 9 *Iordholmia.* 10 in Horſenſi ſinu ſunt *Aroa.* 11 *Gernoa.* 12 *Worſia.* Præter has Inſulas ſplendet arx regia *Scanderburgum* , & monaſterium *Emecloſter.*

VIBURGENSIS *Diœceſis* , *cujus caput* Viburgum.

Hîc ſedes eſt Epiſcopi, & tribunal triumvirorum, jus integrum annum dicentium in cauſis civilibus & criminalibus. Longitudo hujus tractus ab Ortu in Occaſum XII mill. Germ. eſt. continetque 3 civitates, 3 arces, & parœcias agrarias 218.

Reliqua opida ſunt, Nibe *&* Scheve.

Ad hanc Diœceſin refertur peninſula *Sallingia* ; Item Inſula *Leſſoa* in mari Baltico: *Fafferland* inter Thyam & Sallingiam: Item *Nidingum* ſcopulus in mari Balt. reſpiciens extremitatem Hallandiæ propè Elſeborg: Item *Haſelina* , & *Anholta*, vulgò *Anout.* Inſulæ navigantibus valde inſidioſæ, naufragiis non raro obvenientibus.

ALBURGENSIS *Diœceſios caput eſt* Alburgum.

In hac Diœceſi ſunt 6 opida, nobilium ſedes C. Parœciæ rurales 180, vel minus.

Deinde opidum Venſyſſel *in tractu Venſilienſi ad amnem Ry-aa , qui in Lymicum ſinum* (*vulgò* Lymford) *labitur.*

Venſilia *quaſi der Wendenſitz* , à Lymico ſinu ad promont. Scagenſe extenditur ad XIV milliaria, complectiturque tria præter Venſyſſeliam opida, quæ ſunt, *Seby* ad mare Balticum

ticum, *Horring* ad mare German. & *Scaga* promontorium. Inſulæ huic tractui annumerantur *Gryſholm. Hertzholm, Tydsholm*, &c.

Sequitur Hanherret *tractus, cujus longitudo* V, *latitudo duo habet milliar. Germanica.*

Tertius tractus eſt Thya, *ubi unicum opidum* Thyſted, *una arx* Orum, *unum cœnobium* VVeſtervvyck.

Inſulæ *ad hanc diœceſin referuntur*, 1. Hansholmia *in lacu Lymico.* 2. Oſtholmia. 3. Jegena. 4. Livolandia. 5. Egholmia. 6. Bodumna *peninſula.* 7. Morſungia, (*cujus longitudo* 4. *mill. Germ. latitudo* 2. *continet, in hac unicum opidum* Nikiobing. *Huic Inſulæ accedit* Aggeroa *inſula alia.*) 8. Tyrholmia, *cui adjacet* Otheſundæ *fretum, ubi* Otby.

Præter hos dictos tractus ſunt adhuc alii, quos calamus Autorum tamen vix tangit, quod dolendum in nobili hoc regno, ubi præmia doctos non deficiunt.

Hactenus de Septentrionali *Iutia*; *ſequitur* MERIDIONALIS *ſive* Sudjutlandt.

Longitudo ejus ab *Eidera* fluvio opidoque *Rensbergo* ad *Coldingam* opidum milliar. German. cenſetur XVIII, latitudo alibi VI. alibi VIII. Monere hic volo lectorem, me ſupra in capite de Germania ad Circulum IX meminiſſe civitatum aliquot Jutiæ Meridionalis; ſed Principum gratiâ hoc factum, qui circuli ejus membra ſunt; eas tamen proprium in locum heic repono, ut error evitetur.

Opida ejus præcipua ſunt, 1. Sleſvicum *ad fluvium* Sliam, *Ducatus iſtius caput; non procul inde*

inde abeſt arx Ducalis Gottorp, *Principis ſedes, ubi telonium numoſum à bobus è Dania in Germaniam euntibus.*

2. Eckelfurtum *in peninſula, ubi portus opportunus ad mare Balticum.*

3. Flensburgum *ad Baltici maris ſinum, qui* Flenus *dicitur; portum habens tam altum ut onuſtis navibus ad opidum uſque in longitudinem exſtructum, liber ſit acceſſus.*

Aër hic ſalubris, aqua ſcaturiens opidanis magnum fert commodum, in ædes & hypocauſta per tubos deducta; ædes non depreſſæ; ſed porrectæ & magnificæ; inhabitatoribus multùm benignis ornatæ, apud quos Jus hoſpitalitatis in obſervantia eſt. Aliàs opidum in valle ima ſitum arcem colli imminentem habet, cui præfectus Regius præeſt.

Ex hoc ſinu Flensburgenſi egreſſis occurrit inſula ALSA, *in qua arx magnifica* Sunderburgum *cum opido ejuſdem nominis, Ducis Holſatiæ in* Sunderdurg *ſedes; præterea in ea ſunt,* Nordburgum, Glucksburgum *Ducum domicilia*, Oſterholtum. Holla *&* Gamelgarda.

Inſula hæc quatuor tantùm milliar. habet longitudinem & 2 latitudinem, verùm multùm eſt populoſa, ſaltuoſa, feris abundans & paſcuis læta.

4. Haderslebia, *lautum non ita pridem opidum, ſed miſerè deformatum incendiis, necdum priori ſorti redditum, Arx in peninſula à Iohanne Holſato ædificari cœpta* (cui Hansburg nomen) *propè adjacet, quam Fridericus II*

Daniæ

Daniæ Rex Regiâ ſtructurâ, addito eleganti ſacello conſummavit

5. Huyſemum *ad mare Occidentale, ubi arx Ducalis.*

Huyſemo agro, parvo interluvio adjacet Inſula Strant, *unius & medii milliaris Germanici longa, nec minus anguſtior.*

9. Apenroa, *vulgo* Apenrade *ad intimum maris receſſum.*

7. Tonninga *non procul ab oſtio Eidoræ ſita.*

8. Tondarium *majus & minus ad mare Germanicum ſive Occidentale.*

Intra *Huyſemum* & *Tondarium* interjacet *Strand Friſii*, antiqui Friſiorum cultus tenaces; vicos habent *Breſtedam, Langehorn, Borlum*, &c. fluctuum vi modò deformes,

Tantum de PENINSULIS DANIAE; *ſequuntur* INSULAE, *quæ ſunt* SELANDIA & FIONIA, *cum inſulis minoribus unicuique cohærentibus.*

SELANDIA, *Inſula amœniſſima & opulentiſſima, longitudinem habet* XVIII, *latitudinem* XII *milliar. Germanicor. civitates, portus, arces, & Academias oſtentat, quas videbimus.*

HAFNIA *primas tenet*, ſita urbs ad Orientalem Inſulæ plagam, cui mare Balticum propinquum conciliat portum commodiſſimum, tutamque navibus ſtationem. Multa hic dictu digna, quæ exigua hæc charta non capit: præter *Regium domicilium* quod antiquitate & capacitate nulli cedit, & *Armamentarium*, ex vero dico, omnibus Europæis præferendum: Ibi arma terreſtri maritimoque bello neceſſaria eleganti ordine con-

concinnata; centum mille hominibus armandis ſufficientia. Claſſis licet integra inſtruatur, vix particulam hinc ademtam cernas; tubi ænei grandiſſimi ſtuporem incutiunt; ad ſummam, numero, quantitate, ordine & apparatu longè Venetianum Arſenale ſuperat Martis hæc officina. Propè abeſt ampliſſimum ædificium commeatui deſtinatum, ad quod portatoriæ, imò prætoriæ naves altiſſimi canalis commoditate commeatus recipiendi gratiâ, adpellere breviſſimoque tempore omni apparatu inſtructæ in altum ſolvere poſſunt. Promptuaria hæc ſunt & cellæ penariæ omnium Deorum manibus quaſi exſtructæ; Juppiter fulmina bellica, Neptunus navalia, Mars numeroſiſſima arma, Vulcanus loricas, manicas, ſclopos, glandes, lanceas, bipennes, clavas, enſes, romphæas, thoraces ferreos & reliqua ſuppeditarunt, quibus Ceres uberrimos commeatus junxit. Maximi verò Regis Chriſtiani IV. qui verè *Pater Patriæ* eſt, cuâ, induſtriâ, vigilantiâ, & beneficentiâ hæc & alia ædificia ſurgunt. Reſpice hortum ſeu viridarium Regium, propugnacula elata, pomœria ampliata, pontes ſublicios, Burſam mercatorum, granaria, ſtationes navium, ergaſterium, domum fuſoriam & reliquas fabricas: Sed quid hæc omnia ad ædificia ſacra? Symbolum potentiſſimo Regi eſt; REGNA FIRMAT PIETAS: en praxin! cum omnis Europa bello flagret & regna infirma ſtant; hic alta pax, hic ſtabile & firmum regnum fundamento *pietatis*, quam rex tot

ſacrarum ædium noviſſima ſtructura poſteritati commendat. Junge his Academiam, & alia, quibus enumerandis impar ſum. Urbi huic ſublicio ponte jungitur novum oppidum *Chriſtianshaven*, hoc egreſſus intras Inſulam *Amagriam* (*Amagh* vulgò) VI CIↃ paſſuum longam, & IV CIↃ latam, frumento lætam & venationibus commodam: Incolæ ex Hollandia Chriſtierni II. tempore adducti, ſeculo continuo hanc inhabitarunt, coluerunt, & uſque dum in nepotibus vivunt, rem facientes in annona, lacte, butyro, caſeo, &c. quæ induſtriâ munditie, moribus antiquis, confecta Hafniam vehunt, venaliaque bis hebdomadatim faciunt.

2. *Eſt* ROSCHILDIA civitas in mediterraneis ad ampliſſimum maris ſinum ſita, vulgò *Roskildtfiourd.* In hac ſunt Mauſolea Regum magnifico opere elaborata.

3. *Eſt* Helſingora (*vulgò* Elſeneur) opidum elegans ad fretum Oreſundæ exſtructum, mercatoribus & nautis Europæis hinc inde navigantibus notiſſima ſtatio & hoſpitium. Heic naves tranſeuntes demiſſis velis, & anchoris Regi telonium ſolvunt ſecundum taxam bonis impoſitam.

Contigua opido munitiſſima arx eſt, Cronenburgum, *opere mirabili erecta contra pelagi fluctus, cujus horrendis boatus minimè metuit: ſed & contra refragantes naves, quas fulmine tormentorum ab ingreſſu & egreſſu arcere poteſt.*

Tertio hinc lapide diſtat eminentiſſima arx Regia Frederichsburgum, *auſpiciis Friderici* II. *Regis*

Regis cœpta, ſed munificentia Chriſtiani IV perfecta; hanc ſi deſcribere vellem, volumine opus eſſet quod hoc compendium non capit.

4. Coagium, vulgò Coege, opidum frumentaria negotiatione dives & munitum.

Ringſtadium, vulgò Ringſtede, ubi tribunal & monumenta veterum Regum & Reginarum.

6. Nicopia opidulum frumento florens.

7. Holbeca, ad ſinum maris mercaturâ celebris.

8. Slagoſa, vulgò Slagels, opidum amœno loco ſitum, à quo propè abeſt regium in colle domicilium Anderſchovv.

9. Corſora, vulgò Corsör, ad fretum Balticum è regione Fioniæ opidum, cui altus portus eſt navibus onerandis commodus.

10. Schelsöra ad latus maris Baltici propriè ſic dicti.

11. Neſtvveda.

12. Preſtoa, opidum ſinu maris undique pene cinctum, lucos colleſque nemoroſos proſpectans.

13. Callenburgum, opidum cum arce Regia commodo portu gaudens in Occidentali Inſulæ plaga.

14. Slangendorpium, opidum ad ſinum Roſchildenſem.

Præter civitates, arces, & opida in Selandia floret etiam SORA, Academia Regia à Frederico II inſtituta, ſed in hunc ſplendorem à Chriſtiano IV excitata. Olim cœnobium ante aliquot ſæcula fundatum ad lacum Dulcis aquæ, ſilva undiquaque circumdatum: Ho-

die omnium Facultatum, multarum linguarum, nobiliumque exercitiorum bene formatum corpus; cui regundo Generoſiſſimus Herus *Henricus Ramelius* authoritate regia præeſt.

Hinc Schoucloſter (Herleſſsholmia) *tribus circiter milliar. diſtat. Illuſtris ſchola eſt inter lucos & opaca ſita, fundatorem habens* Herleſum Trolle, *Regni olim Senatorem & Admiralium.*

Inſulæ *ad* Seelandiam *præter* Amagriam, *de qua ſupra,* Huena *&* Mona *referuntur.*

Mona, *vulgò* Moeneſland, *in mari Baltico candidis è creta montibus in Oceano eminens: Arce Regiâ* Elmelandâ, *& opido* Stega *illuſtris.*

Huena, *vulgò* VVeen, *intra Helſingôram & Hafniam ſita, cujus circuitus duorum fere milliar. German. latitudo non ſupra ſeſquimilliare eſt.* In hac *Tycho Brahe* nobiliſſimæ gentis ſuæ lumen arcem *Vraniburgum* exſtruxit, cujus deſcriptionem ut & totius Inſulæ offert *Theatrum urbium Georgi Brauni*, quo Lectorem remitto. Apponam Scoti cujuſdam Epigramma de hac arce:

Regia Muſarum, decus Orbis: & æmula Olympo,
Alma domus dignum numine nomen habes.

Notatu dignum eſt, eſſe hic coryletum, avellanarum feraciſſimum,, quarum tamen nulla unquam carioſa fuit inventa. Glires item hinc perpetuò eſſe proſcriptos; Fontem inſuper dulciſſimæ aquæ nulla glacie unquam obductam, &c.

FIO-

FIONIA *ſupereſt cum inſulis ei connexis.*

Fionia, vulgò *Fünen* nomen à pulchritudine habere videtur; ſeparatur à Jutia anguſto porthmo propè Middelfortum. Longitudo ejus ab Ortu in Occaſum eſt decem milliar. Germanic. aut paulò ampliùs; latitudo tantùm octo. Inſula alioquin læta & opulenta agris, campis, ſilvis, piſcinis & ſtagnis; horum LXXXVIII numerat. Civitates continet VIII; regias arces IV, nobilium plures.

Civitatum prima eſt Ottonia, *vulgò* Ottenſehe.

Urbs Epiſcopalis, ab Ottone primo ædificata; In ea duo ſunt templa Franciſci & Canuti, in illo Chriſtiernus II. Rex in captivitate XXXVII detentus, à morte ſepultus cum patre Joanne. Circa feſtum Epiphanias nobilium & Inſulanorum hic frequens conventus, quemadmodum Chilonii eſt.

2. Neoburgum, *vulgò* Nyburg. Ubi trajectus in Selandiam 4. milliar. Germ. Arx hic regia & portus altiſſimus, Regis inſuper prætoria navis, ſpeculæ inſtar in tranſeuntes minores naves pro telonio Regi exſolvendo, hîc ordinem & ſtationem habens.

3. Suenoburgum, *vulgò* Svvynburg, *ex adverſo Inſulæ Taſſingæ, ad litus orientale Inſulæ*

4. Cartemunda, *opidum elegans & ſitu oportuno.*

5. VVoburgum, *vulgò* Voborg, *ad Meridionale Inſulæ latus, cujus ſinus minoribus aliquot Inſulis ſeptus eſt.*

6. Aſneſum, *vulgò* Aſcens, *parvum ſed ſtructurâ platearum elegans opidum, e quo trajectus fit in Iutiam Meridionalem.*

7. Bounſonia (*vulgò* Bovvens,) *ad Occaſum Inſulæ verſus Iutiam Septentrionalem.*

8. Middelfurtum , *vulgò* Mildfar *ad Iutinum fretum , quo Inſula hæc à Iutia disjungitur.*

Hinc propè eſt arx regia Hingſgagel, *reliquæ in inſula ſunt* Neuburg , *de qua ante* , Hagenſchona *&* Eſcheburgum , *cum Regio prædio,* Rugardia.

INSULAE *principales ad Epiſcopatum Fionenſem relatæ ſunt,* Langelandia , Lalandia, Falſtria, Taſſinga, Arria.

Langelandia *à longitudine nomen habere fertur , quæ ſeptem milliarium eſt , cum latitudo vix duo obtineat. In ea regia arx eſt* Tranekera *ad Orientale Inſulæ latus; & opidum Rudköping. ad Occidentale.*

Lalandia , *quaſi* Lägelandt , *ab humili ſitu, cujus longitudo habet milliar.* VIII , *latitudo* V. *Frumenti feraciſſima ; in hac ſunt opida,* Maſcou *ad Occidentalem Inſulæ partem.* Saſcoping, Aelholm, Roobuy; *& nobile cœnobium* Maribo.

Falſtria , *cujus longitudo* IV , *latitudo duor. milliar. eſt. In hac opida & arces regiæ ſunt* Nikoping (Daniæ Neapolis ob amœnitatem, ubi hodiè Regius Princeps Chriſtianus, Sereniſſima cum conjuge vivit,) *&* Stubbekoping, *hæc ad Groenſundam, illa ad Golberſundam ſita.*

Taſſinga *e regione Swenoburgi , anguſta & unius milliaris longa.*

Arria,

Arria, *vulgò* Arr. *Oblonga Inſula, amœna & venationibus ob nemora patens. Habet arcem & opidum* Kopingam, *plurimaque nobilium domicilia & prædia. Tantum de* Dania.

CAPUT XI.

De Inſulis in mari Mediterraneo.

R*Eſtat ultimum caput Europæ, quod tractat Inſulas in Mari Mediterraneo ſitas: Hoc verò mare ſecundum diverſos ſitus dividemus in* Mare Ibericum, Liguſticum, Tyrrhenum, Adriaticum, & Ægæum.

Per fretum Herculeum ſi in *Mari Iberico* ortum verſus curſum direxeris, obvenit primùm Inſula *Ebuſus* ſive *Yvica*; pòſt *Majorica* & *Minorica*, de his cum ſuprà in cap. de Hiſpania egerimus, pergemus ad reliquas, quarum primæ ſunt *Sardinia* & *Corſica.*

In Mari Liguſtico *prima eſt* SARDINIA, *cujus præcipuæ urbes ſunt*, Calaris, *Inſula caput Africam reſpiciens*; Olbia & Saſſaris.

Longitudo ejus à Calari uſque ad fretum, quod inter Sardiniam & Corſicam eſt, dicitur eſſe XLV milliar. Germ. Latitudo à Capo di monte Falcone & Capo di Argentera ad Promontorium Columbarum juxta Olbiam milliar. Germ. XXVI. Paret Regi Hiſpaniæ; nullus lupus, nec ſerpens in hac inſula invenitur: è diverſo frequens eſt illa herba venenoſa, Sardoa dicta, quæ ridendo enecat homines, unde diverbium: *Riſus Sardonius.*

2. CORSICA, *cujus præcipua loca ſunt*, Nebbio *opidum cum Comitatu*, Balagna, Niolo, Sagona, Genarca, Antiſano; *præter hæc portus celebres habet*, S. Fiorenzo, Calvi, S. Bonifacio *verſus Sardiniam. In opido* Baſtia, *ſummus gubernator præſidium habet.*

Paret hodie Reipub. Genuenſi; longitudo ejus à Promontorio Capo Corſo ad Promont. Capo S. Amanſa eſt mill. German. xxx: latitudo à promontorio Capo di Foro ad Aleriam urbem, quæ nunc in ruinis jacet, milliar. German. xx.

In Mari Tyrrheno, *eſt* SICILIA, *cum* VULCANIAE *inſulis &* MELITA.

SICILIA *dividitur in tres Regiones, nimirum* 1. *in* Vallem Demonæ (*Val de Demona.*) 2. *In* Vallem Noti (*Val de Noto*) 3. *In* Vallem Mazaræ (*Val de Mazara.*)

Sicilia olim Italiæ fuit continua, ab ea poſtea interluente Siculi maris freto avulſa: Ejus longitudo eſt mill. German. L inter duo Promontoria *Il Faro, e Capo Coco, overo Boëo:* Latitudo mill. Germ. xxxv à Promontorio *il capo Paſſaro*, ad Promontor. *Cifalu* ad Mare Tyrrhenum. Olim dicebatur *Triquetra* ob triangularem formam & *Trinacria*, à tribus promontoriis, quæ literam Δ referebant, erantque 1. *Pachynum* nunc *Capo Páſſaro* quod Græciam reſpicit. 2. *Lilybæum*, nunc *Capo Coco vel Boóco*, quod Africam ſpectat. 3. *Pelorum*, nunc *il Faro*, quod Italiam verſus tendit, ubi *Scylla* & *Charybdis*, illa ſcopulus, hæc vortex ſunt. Variorum dominio olim fuit ſubjecta Inſula, ultimò

Galli

Galli eam tenuere paucos annos, quos una Veſpera in mortem dedit, unde *Veſperæ Siculæ* anno illis exitioſo CIↃ CCLXXXII, de his legantur *Rerum Sicularum Scriptores.* A Gallis derivatum imperium fuit ad Arragoniæ, quibus extinctis, ad Hiſpaniæ Reges, qui hodie adhuc id tenent, Ubertatem verò ejus heic depingere ſuperſedeo, videatur nobiliſſimus *Philip. Cluver. conterraneus meus in Sicilia ſua.*

Vallis Demonæ *habet* Meſſinam, Catanam *ubi Academia Æthnæ vicina.* Taurominium, *hodie* Taermina, Leontium, Milazzo, *&c.*

In Valle Noti, *ſunt* Syracuſæ, Camarana *ad mare Africum*, Agrigentum, *hodie* Gergenti, *Phalaris tyrannide notus locus.*

Vallis Mazaræ, *habet* Marzellam, Mazaram, Drepanum, Palermo, *olim* Panormus, *ad mare Tyrrhenum, totius Inſulæ caput & Proregis ab Hiſpano miſſi ſedes.*

VULCANIAE *inſulæ ſunt* VII, *Pelorum Meridionali ſui parte reſpicientes. Aliàs Æoliæ dictæ ab Æolo, earum, ut ferunt, Rege.*

MELITA, *hodie* MALTA, *Africæ proximior.* Equitum Rhodiorum ſedes, donatione Caroli V. Imp. longitudo ejus 5. milliar. latitudo 2½ circuitus 15 fertur; Civitas in ea dicitur *Borgo.* Inſula alioquin clara à goſſypio & catellis magni æſtimii. Videantur de hac Inſula Auctores, *Munſterus*, *Megiſerus*, *Cœlius Secundus Curio.*

In mari Adriatico, *ſive* Jonio, *occurrunt tres præcipuæ Inſulæ*, Corcyra, Cephalonia, Zazinthus.

CORCYRA, *hodie* CORFU, *olim* Phæacia *dicta*; *Alcinoi hortis & Vlyſſis naufragio celebris*. Inſula abundans Citris, Medicis, Oleis, vite, melle, omniſque generis fructiferis arboribus: urbem habet cognominem *Corfu*; univerſa paret Venetorum dominio.

CEPHALONIA *infra Corcyram ad Ambraicum ſinum poſita, ſubjecta eſt Venetæ Reipublicæ urbem habet* Cephaloniam. Sinus Ambraicus eſt inter Epiri & Peloponneſi ad Naupactum & Patras confinia: Penes eundem ſinum ſunt *Inſulæ Echinades*, ab Echinorum copia ſic dictæ. Ab his verſus Auſtrum eſt parva Inſula hodie *Compare*, olim *Ithaca* dicta, ab Ulyſſe maximè nota. Porrò inter Cephaloniam & Corcyram ſita eſt Inſula *Pachſu*.

ZAZINTHUS, *vulgò* Zantè *e regione Arcadiæ, opidum habet* Zante *dictum*. In cujus templo B. Mariæ ſacro invenitur monumentum *Andreæ Veſalii* Bruxellenſis, magni nominis Anatomici, qui Hieroſolymis rediens hîc diem ſuum obiit, Anno 1564 ætatis ſuæ LVIII. Inſulæ circuitus eſt XXXVI milliar. Subjecta eſt Venetis, qui ex oleo & vino magnos inde proventus trahunt. Sub hac Inſula paulò remotius ſitæ ſunt Inſulæ *Strophates*, hodiè *Strivali*: In his quondam fuêre Harpyjæ. Teſte Virgilio 3. Æneid.

Tandem in ÆGEO MARI *poſt* CRETAM

TAM *ſunt* CYCLADES *inſulæ, quas videbimus.*

CRETA, *hodiè* CANDIA, *quam Veneti à Marchione Montiſferratenſi grandi ære ſunt mercati: Eò, triennio elapſo, Veneti Rectorem Inſulæ, titulo Ducis mittunt.*

Longitudo ejus à promontorio *Salamoni* ad promontorium *Cornico* eſt LXX, latitudo XV milliar. German.

Vrbes præcipuæ in ea ſunt, Candia, *quæ Inſulæ nomen dedit*, Sittia, Retimo, *&* Canea: ſecundum has IV urbes, univerſa Inſula in IV territoria diſpeſcitur, & tribus hominum generibus occupatur, nimirum Nobilibus Venetis, nobilibus Candiotis & Græcis. Veneti & Candiotæ ſunt utrique Veneti, ſed illi à nobilibus, hi à civibus Venetianis oriundi, olim uti Coloniæ, in Candiam miſſi.

Inter CYCLADES *Inſulas extremæ recenſentur ab Ortu* RHODUS; *à Meridie* SCARPANTO; *ab Occaſu* CERIGO; *à Septentr.* TENEDOS: *medium locum tenet* DELOS.

RHODUS *olim* Ophiuſa *dicta*. In hac ſtatua Solis LXX, vel, ut alii volunt, 7000 cubitos alta fuit, Coloſſi nomine: nam Soli dicata fuit Inſula, eò quod Sol quotidie videatur, nebuloſo quamvis aëre. Olim occupata à Rhodienſibus militibus, qui à Turca ejecti Anno 1522, in Inſulam Maltam ſe receperunt. Refertur ab aliis ad Aſiam; Urbem munitiſſimam habet *Rhodum*. Ambitus Inſulæ eſt 28 milliar.

SCARPANTO, *olim* Carpathus, *inter*

Rhodum & Cretam interjecta; urbem habet cognominem; & Venetis ſubjecta eſt.

CERIGO, *olim* Cythera, *Veneri dicata, unde Venus Cytherea eſt dicta.* Prima eſt maris Ægei inſula ad Occaſ. è regione ſinus Laconici, ex hac Helenam Paris rapuit: opidum habet ejuſdem nominis, & caſtellum inexpugnabile, quod ultima bella cum Turcis monſtrarunt; Venetorum armis defendiditur hodie.

TENEDOS, *inter Lesbum & Helleſpontum ſita, ad Orientem confinis eſt Aſiatico litori, ubi rudera Trojæ non longè abſunt.*

DELOS, *quibuſdam* Orthigia, *hodie* Sdille: Hæc mari olim innatavit, ſi vera dicit *Ovid.* 3. *Metam.* Clara olim fuit mercatu, natali & Apollinis templo.

Ex Tenedo *ad lævam verſus Ortum Solis & oram Aſiæ naviganti, hæ Inſulæ præcipuè ſe offerunt.*

1. LESBUS, *hodie* Metellino, *ſive* Mitilenè *&* Middilli *ab urbe primaria, è regione Phrygiæ.* Inſulæ circuitus 38 milliar. eſt, ejus longitudo à Septentr. ad Merid. 17. ager fructibus & vino, quod Conſtantinopoli maximè expetitur, abundat: Ruriculæ ſunt Græci, ſed incolæ Turci, qui eam occuparunt anno 1464, horribili lanienâ incolarum.

2. CHIOS, *hodie* Shio, *ſita intra Lesbum & Samum.*

Inſula, ampla, ferens racemos VI librarum, Vina Poëtis olim materiam ſcribendi dederunt; in monte Arviſio creſcit vinum (Malvaſier) quod corrupto nomine immu-

tatum

tatum eſt: hodie verò Candia illud ſuppeditat, Venetiis *Liatica* dicitur, olim ex Inſula Chio advehebatur; Ficubus inſuper gratiſſimi ſaporis, Marmore, Romæ quod in æſtimio fuit; Lentiſco, è quibus Maſtix colligitur, abundat, Turcæ eam occuparunt anno 1565. Dividitur in ſuperiorem, quæ *Apanomerea* dicitur & montoſa eſt, opidisque frequentior; & Inferiorem, quæ *Catomerea* dicitur, ubi lentiſcus frequens in collibus. Urbs primaria eſt *Chio*, portu oportuno gaudens.

3. SAMUS, *hodie* Samo *in qua urbs* Samo.

Ubertas ſoli reliquas Inſulas ſuperat, unde proverb. *Lac Gallinæ in Samo. Strabo l.* 14. In circuitu habet 22 milliaria. Patria fuit Pythagoræ & Sybillæ Samiæ.

4. NICARIA *olim* Icaria.

5. PALMOSSA, *olim* Pathmus. Cujus circuitus VIII ferè miliarium eſt; in hanc exul delatus Evangel. Joannes Apocalypſin ſcripſit. Una ex Cycladibus eſt quarum *Strabo lib.* 10. *geograph.* quinquaginta tres numerat Delum circumdantes.

6. CHOA *ſive* COS, *aliàs* Merope, *hodie* Lango, *ab urbe cognomine.*

Ambitus hujus Inſulæ eſt XXV mill. patria Hippocratis Medici, & Apellis pictoris.

Ex Tenedo verò verſus Occaſum Solis & Græciæ litus naviganti occurrit, 1. LEMNIUS, *hodie* Stalimene, *Thraciæ oppoſita, famam habet à* terra Lemnia, *ſive* Sigillata, *quod Dianæ ſacerdotis ſigillo obſignaretur. In ea eſt* Stalimene *urbs.*

2. SCYRUS, *ſive* Sciro. 3. EUBOEA, *nunc* NEGROPONTE, *Achajæ oppoſita, cui continua fuit: modò ponte cum ea cohæret, ubi Chalcis & Aulis fuere, hodie* Negroponte *urbs eſt. Inſula admodum longa, nuſpiam lata eſt. Ariſtoteles in ea mœrore extinctus, quod Euripi reciprocantis maris cauſas reperire non poſſet.*

4. ANDROS, *nunc* Andri.

5. ENGIA, *in Golfo de Engia, olim* Ægina.

6. COLURI, *olim* SALAMIS, è qua Teucer, Ajacis frater oriundus, Telamonis Regis filius, hinc à patre ejectus, quod fratris Ajacis mortem ante Trojam non vindictâ proſequutus eſſet.

7. QUIMANO.

8. MILO, *olim* Melos *cum urbe ejuſdem nominis. Ejus ambitus* LXXX *milliarium eſſe fertur.*

Plures ſunt Cyclades Inſulæ, ſed hæ ſunt memorabiliores; perpaucæ ex his Venetorum dominio ſubſunt; reliquæ Turcico maris Beglerbego parent. Vide *Leonclav. in hiſtoria Turcica.*

Infra Delum verſus Merid. nobiliores inſulæ ſunt 1. PAROS, *hodiè* Paro, *marmore nobilis.*

2. *Huic à latere Orientali oppoſita* Naxus, *ſive* Nixia, *hodie* NICSIA; *ambitus ejus milliar.* LXXX *eſt. Marmor hic Serpentinum, Smirillus item lapis effodiuntur.*

3. *Inferiùs* Polycandro 4. Sicandro, *tandem* 5. Latòa, *hodie* Chriſtiana.

Supra Delum *verò poſita eſt* Mirone & Titte, *fortiſſima duo caſtella, & Chriſtianorum aſyla contra Turcam. Veluti ſupra* Lemnum

ad

ad ipſam Thraciam eſt Taſſus, *cui e regione reſpondet* Samandrachi *&* Lembros.

Tantum de Europa, cujus ampliorem deſcriptionem compendium hoc non fert; pergamus, bono cum DEO, ad reliquas Orbis partes, eaſque paucis paginis comprehendemus, initium ab ASIA facturi.

CAP. XII.

De ASIA in genere.

SElectiſſima hæc fuit terra à DEO, in qua homo primus creatus, lapſus & regeneratus eſt. Vivebat primitùs immortalis, mox ob lapſum mortalitati fiebat obnoxius. tandem, ab hac liberatus, in ſemine promiſſo Jeſu Chriſto, deſtinabatur immortali beatitudini cujus & nos verâ fide ſumus participes: Beata terra, quæ Redemptorem noſtrum tulit, nobiſque exhibuit. Primùm heîc homines vivere cœperunt & deſierunt, linguarum diverſarum heîc origo, uſus & confuſio; majoris in minorem heîc primum dominium & imperium; ſed de his noſter hic non eſt labor.

ASIAE *conſideratio eſt in* ſitu, quantitate, *&* diviſione. SITUS *eſt vel* exterior, *vel* interior. Exterior *eſt in extenſione partim Aſiæ, quâ verſus Orientem & Septentrionem longiſſimè prorepit, nec tamen Æquatorem ferè tranſcendit: partim in finibus ejus, qui ſunt à Septentrione Oceanus Scythicus, ſive Tartaricus; ab Oriente mare Chinenſe ſive Æoum; à Meridie mare Indicum; ab Occidente mare Rubrum,*

brum, ſinus Arabicus, mare Mediterraneum, Ægæum, Helleſpontus, Propontis, pontus Euxinus, lacus Mæotis, Tanais & Obius flumina.

Aſia à Sept. habet terram polarem incognitam; ab Occaſu Europam & Africam; à Merid. Magellanicam; ab Ortu denique Americam. Itaque à terra Polari, Oceano Scythico; à Sarmatia Europæa per Mæotidem paludem, Tanaim fluvium: & lineam ab eo in ſinum Grandvicum ductam, à Græcia per mare Mediterraneum, à Thracia per pontum Euxinum, ab Ægypto in Africa, ſinu Arabico, marique rubro & lineâ hinc ad mare Mediterraneum ductâ; à Magellanica, Indico Oceano; ab Americo freto Anian ſive Eoo Oceano dirimitur.

Interior reſpicit Flumina *&* Montes.

Flumina *Aſiatica ſunt in* TARTARIA, Obius, Paropamiſus *nunc* Orchardus, Volga, *ſive* Edel, *olim* Rha, *&* Jaxartes *nunc* Cheiel. *In* CHINA, Cantao; *In* INDIA, Ganges, *nunc* Guengam; *&* Indus, Hijnd, *&* Inder *vulgò*: *In* PERSIA, Oxus, *nunc* Abia, *ſive* Abiamu, *&* Arabs, *nunc* Ilment; *In* TURCIA ASIATICA, Tigris, *nunc* Tegil, *ſive* Digilah, *&* Euphrates, *vulgo* Frat; *ſive* Phorat: *in* PALESTINA, Jordanus, *qui à duobus fontibus Ior & Dan ortus à Sept. in Merid. tendit, & duos lacus efficiens, tandem mari mortuo miſcetur.*

Montes *in* COLCHIDE *ſub imperio Turcico ſunt* Corax *&* Caucaſus; *in* SCYTHIA Imaus, *pars montis Tauri, ad cujus Septentrionalem partem* Alkai *dictam, ſunt Tartariæ*

Impera-

Imperatorum ſepulchra, in MEDIA *ſunt* Coronus, Jaſonius, Orontes, Zagrus *&* Choatras.

In GALATIA *ſunt* Olgaſis, Didymus, *& qui Cælenorum tumulus*; *in* BITHYNIA *eſt* Orminius; *in* PHRYGIA MAJORE *eſt* Cadmus; *in* MISIA MAJORE, *eſt* Cimon; *in* MISIA MINORE, *mons* Ida; *in* LYDIA, Sipylus, Tmolus, Meſogys, Mimas, *in* CARIA, Phœnix, Micale *&* Larmus; *in* LYCIA *eſt* Chimæra, *noctu fumum exhalans*; *in* PAMPHYLIA, Mons Taurus, *totius orbis maximus, de quo mox infrà in* PHOENICE *ſunt* Mons Libanus, Antilibanus *&* Carmelius; *in* ANTIOCHIA *ſunt* Caſius *&* Pieria, *in* MESOPOTAMIA, *ſunt* Maſius, *&* Singaras; *in* ARABIA PETRAEA Sinai *&* Horebus; *in* CYPRO *mons* Olympus. *In* Palæſtina, Gilead *ſeu* Galaad.

QUANTITAS *Aſiæ conſiſtit tum in* longitudine, *quæ ab Helleſponte ad Malaccam ſe extendit, milliar. German.* CIↃ CCC: *tum in* latitudine, *quæ è faucibus Arabici ſinus ad promontorium Tabin excurrit, milliar. German.* CIↃ CCXX.

CAPUT XIII.

De Continentibus Aſiæ partibus.

SEquitur DIVISIO ASIAE, *quæ eſt in* partes Continentes *&* Inſulas. Continentes partes *ſunt* Major, *&* Minor ASIA.

Diviſionem hanc ſumimus à Monte *Tauro*, qui ab Oriente in Occaſum deſcendens, Aſiam in duas partes dividit. *Mons Taurus,* ab Eois

ab Eois veniens litoribus immenſus eſt, innumerarumque pene gentium arbiter; dextero latere Septentrionalis, ubi primum ab Indico mari exſurgit; lævo Meridionalis, & ad Occaſ. tendens, donec prementi terras occurrant maria, velut de induſtria rerum natura ſubinde æquora opponente, hinc Phœnicium, hinc Ponticum, illinc Caſpium & Hyrcanum, contraque Mœoticum lacum. Torquetur igitur colliſus inter hæc clauſtra, & tamen victor, flexuoſus evadit uſque ad cognata Riphæorum montium juga, numeroſis nominibus & novis quacunque incedit inſignis; *Imaus* primâ parte dictus, mox *Emodus*, *Paropamiſus*, *Circius*, *Chambades*, *Pharphariades Chroates*, *Oreges*, *Oroandes*, *Niphates*, *Taurus*. Atque ubi ſe quoque exſuperat *Caucaſus*; ubi brachia emittit, ſubinde tentanti maria ſimilis *Sarpedon*, *Coraceſius*, *Cragus*, iterumque *Taurus*. Ubi verò ſeſe aperit, *Pylarum Portarumque* nomine unitatem ſibi vendicat, quæ alibi *Armeniæ*, alibi *Caſpiæ*, alibi *Ciliciæ* vocantur. Ejus latitudo pleriſque in locis eſt ſtadiorum trium millium: longitudo tanta, quanta ipſius Aſiæ, utpote ſtadiorum XLV millium, hoc eſt milliar. Italicor. 5625, ab ora ſcilicet Rhodienſi ad extremos uſque Chinæ & Tartariæ fines. Accuratam hanc *Tauri*, maximi in hoc orbe montis, delineationem nobis *Atlas Mercatoris* ſuppeditavit.

Asia Minor *regiones habet alias* maritimas, *alias* Mediterraneas, *alias ad* Iſthmum, *alias ad* Euphratem *ſitas*.

Aſiæ

Aſiæ minoris termini ſunt, à Septentr. Pontus Euxinus; ab Occaſu, Helleſpontus & mare Ægæum; à Meridie, mare Mediterraneum; ab Ortu, Euphrates.

Maritimarum *aliæ ad* Pontum Euxinum, *aliæ ad* mare Ægæum, *aliæ ad* mare Mediterraneum *ſitæ*.

PONTO EUXINO *adjacent* CAPPADOCIA, PAPHLAGONIA, PONTUS *&* BITHYNIA.

Cappadocia à Sept Pontum Euxinum; ab Occaſu Paphlagoniam, Galatiam & partem Pamphiliæ; à Merid. partem Ciliciæ; ab Oriente Antitaurum juxta Armeniam minorem habet pro terminis.

CAPPADOCIAE *urbes celebriores ſunt*, Cæſarea, Nazianzenum, Neo-Cæſarea, Niſa.

Hodiè continet quatuor regiones, *Genech*, *Suvas*, *Anadole*, (unde Natolia hodie) & *Amaſiam*, ubi & opida ejuſdem nominis quædam.

PAPHLAGONIA *à Sept. Pontum Euxinum; ab Occaſu Pontum Parthenio fluvio; ab Ortu Cappadociam Hali fluvio diremptam habet: manſit nomen ejus in parte Galatiæ.*

Vrbs primaria eſt Sinope, *Mithridatis ortu & occaſu nota.*

PONTUS *eſt regio à Bithynia Sangario flumine dirempta, ejus urbes primariæ ſunt* Trapezus *&* Heraclea.

BITHYNIA *eſt inter Pontum & Boſphorum Thracicum poſita cujus urbes nobiliores ſunt* Nicæa Chalcedon, *hodie* Scutari, *Conſtanti-*

nopoli

nopoli oppoſita, Nicomedia, Buxſia, Libyſſa, *Hannibalis interitu clara.*

Ad mare Ægæum *ſita ſunt* Phrygia minor, Myſia major & minor, Æolia, Jonia, Caria, peninſula Doris, Lycia *&* Pamphylia.

Antequam è Ponto Euxino ipſum mare Ægæum intres, occurrit in latere Aſiatico Phrygia minor, quondam *Troas* dicta.

Phrygiæ minoris, *urbs celeberrima quondam fuit* Troja *cum* Ilio *arce, quæ decem regnis imperabat. Hodie* novum Ilium *aliquot ſtadiis à veteri diſtans*; *Item* Alexandria.

Myſia major, *in qua mons Olympus*; *urbes ejus ſunt* Pergamus, *patria Galeni, inventione membranæ Pergamenæ nobilis*; Trajanopolis, Antandros, Alyda, Adramitium.

Myſia minor *ubi Helleſpontus & Propontis, urbes habet*, Cyzicum, Lampſacum, Abydum, Parium *&* Dardanum.

ÆOLIA, *à Sept. Myſiam Aſiaticam ſive majorem*; *ab Occ. mare Ægæum*; *à Merid. Ioniam*; *ab Orien. Lydiam habet*; *Præcipuæ urbes ſunt* Cuma Phocæa.

JONIA *celeberrima Aſiæ minoris regio, inter Æoliam à Sept. & inter Ægæum mare ab Occid. & Mediterraneum à Merid. tum Lydiam quoque ab Ortu ſita*; *inſigniores civitates habet*, Smyrnam, Epheſum, Colophonem, Miletum, Sardes, Pryenen, Teos, Lebedus *& alias.*

CARIAE *à Sept. Ionia, à Merid. mare Rhodium, ab Ort. Lycia adhæret*; *ab Occaſu hyberno in mari Ægæo ei adnexa eſt peninſula Doris.*

Ejus

Ejus nobiliores ſunt, Stratonicea, Miletus, Tripolis, Laodicea, Magneſia, Alabanda, Myndus, *&c.*

DORIDOS *peninſulæ, clariores civitates ſunt*, Gnidus. *&* Halicarnaſſus.

LYCIA, *hodie* Aldinelli; *hanc ab Occaſu & Septent. ambit Aſia propriè dicta; à Merid. pars maris mediterranei, quæ mare Lycium dicitur; ab Ortu pars Pamphiliæ ab Aſia modò dicta ad mare Pamphylium extenſa eam cingit; Vrbes nobiliores ſunt* Patara, Andriace, Telmeſſus.

PAMPHILIA, *hodie* Menteſeli, *ab occaſu habet Lyciam, à Sept. Galatiam, ab Ortu Ciliciam, à Merid. mare Pamphilium. Inſigniores in ea urbes ſunt*, Phaſalis, Perga, Attalia.

Ad mare MEDITERRANEUM *ſita eſt* CILICIA.

CILICIA, *quæ nunc* Carmania, *eam à Sept. pars Cappadociæ; ab Occaſu Pamphilia; à Merid. Iſſicus ſinus; ab Ortu Amanus mons terminat. Vrbes ejus notiores ſunt, in interiori provincia* Tarſus, *D. Pauli Apoſtoli patria; ad litus*, Pompejopolis, Selenus, Mallus, Iſſus.

MEDITERRANEAE *regiones minoris Aſiæ ſunt*, GALATIA, PHRYGIA MAJOR, PISIDIA, LYDIA.

GALATIA, *(cujus nunc parte* Roni *&* Chiancare) *poſita eſt inter Paphlagoniam à Septentr. & Bithyniæ partem ab occaſu; tum à Merid. inter Piſidiam & ab ortu inter Cappadociæ partem, urbem præcipuam habet* Ancyram.

PHRYGIA MAJOR *Cadmo monte dirimitur à Lycia, urbes ei ſunt*, Synnada *&* Apamia, *olim* Celænæ.

PISI-

PISIDIA, *inter Galatiam & Pamphiliam jacet, primariam urbem habet* Antiochiam.

LYDIAE *à Sept. Myſia; ab Occ. Æolis & Ionia; à Merid. Caria & Meander fluvius, ab Ortu Phrygia major eſt vicina. Vrbes in ea ſunt* Thyatira, *&* Philadelphia, *cui alii adnumerant* Sardes.

Aſiæ minoris regiones ad ISTHMUM, *qui eſt inter mare Caſpium & Pontum Euxinum, ſitæ, ſunt* ARMENIA MAIOR, COLCHIS, IBERIA *&* ALBANIA.

Armenia major hodiè *Turcomannia*, *Popul* & *Curdi*, cum reliquis tribus regionibus paret Turcico imperio, & â Borea Colchidis, Iberiæ & Albaniæ partem, ab Occaſu Cappadociam; à Merid. Meſopotamiam, ab Ortu Caſpium mare habet.

Vrbes Armeniæ *præcipuæ ſunt* Nicopolis, *&* Albanopolis, *Bartholomæi tumulo inſignis.*

COLCHIS, IBERIA *&* ALBANIA, hæ tres in una ferè linea, ſitæ, terminos communes habent; à Sept. Sarmatiam Aſiaticam; à Meridie Armeniam minorem; ab Ortu Albania habet mare Caſpium & Colchis Pontum Euxinum; Iberia verò Inter utramque eſt collocata.

Illius clariores urbes ſunt, Phaſis *&* Dioſcurias *poſtea* Sebaſtopolis *dicta*; *iſtius*, Armaſtis; *hujus*, Sarachi, *&* S. Maria.

Colchis hodiè *Mengrelia* dicitur, *Iberia*, nunc pars *Georgiæ Occidentalis*, *Albania*, nunc pars *Georgiæ Orientalis.*

Ad EUPHRATEM *regio ſita dicitur* ARMENIA MINOR, *hodiè* Pegian *&* Boſoc.

Quam-

Quamvis nullo mari alluatur, tamen extrema Aſiæ minoris eſt regio, & ab Armenia majori, Orientali parte Euphrate dirimitur, aliàs à Septentrionali angulo, quem Euphrates & Antitaurus efficiunt; ab Occ. Cappadocia, à Merid. Cilicia diſtinguitur.

Vrbes ejus ſunt, Satala, Melitene, Comana. *Hactenus de* ASIA MINORI; *Sequitur* ASIA MAJOR, *quæ eſt vel* MERIDIONALIS, *vel* SEPTENTRIONALIS.

Meridionalis *continet quatuor primarias provincias*; CHALDAEAM, PERSIAM, INDIAM *&* CHINAM.

Chaldææ *nomine comprehendimus* ARABIAM, SYRIAM, CHALDAEAM *ſtrictè ſic dictam*, MESOPOTAMIAM *&* ASSYRIAM.

Arabiam, cujus medium ſub Tropico 69 ferè ſitum eſt; à Sept. Chaldæam, Syriam; ab Occaſu mare rubrum; à Merid. magnum Oceanum; ab Ortu æſtivo Sinum Perſicum pro terminis habet.

Arabia triplex *Eſt*, *alia* FELIX, *alia* PETRAEA, *alia* DESERTA.

FELIX, *hodie* Ayman, *ſita eſt maximam partem ultra Tropicum Cancri, à Septent. Petræam Arabiam attingens, eoſdemque aliàs communes cum Arabia univerſali terminos habens. Capitales ejus civitates* (ab aliis hic diſſentio propter hiſtorias & noſtrum ſeculum) *ſunt* Mecha, Saba, Aden *&* Ormus.

PETRAEA ARABIA *Meridiem verſus* Felicem *attingit, & citra Tropicum Cancri ſita præter communes terminos à Septentrione habet Arabiam deſertam, & ab Occaſu Iſthmum, qui*

inter

inter mare Rubrum & Mediterraneum interjacet. Urbes ejus inſigniores ſunt Petra, unde regioni nomen eſt, hodie Arach *&* Medina *à Mahometis ſepulchro clara.*

DESERTA ARABIA, *hodie* Arden *ab Ortu Babyloniæ ſive Chaldææ montibus & ſinus Perſici parte; à Septentr. Meſopotamia juxta Euphratem; ab Occaſu Syriâ cum Arabia Petræa; à Merid. Felicis Arabiæ montibus terminatur.*

SYRIA *à Sept. Ciliciam & montem Amanum; ab Occaſu Iſſium & Ægyptium mare; à Merid. Ægyptum & Arabiam, ab Ortu Euphratem terminos habet.*

Ejus tres ſunt provinciæ, PHOENICIA, PALAESTINA *&* SYRIA *propriè ſic dicta.*

PHOENICIAM *quæ & Syro-phœnicia dicitur à Sept. Galilæa; ab Occaſu mare Mediterraneum; à Meridie Ægyptus; ab Ortu pars Arabiæ Deſertæ definit.*

Præcipuæ civitates ejus ſunt Ptolomais, Tyrus, Sidon, Aradrus, Cana major, Sarepta, Tripolis, Biblus, Bothris, Berithus, *hodie* Baruto.

Ptolomais in Sacris *Acon* appellatur; *Tyrus*, in Sacris *Zor*, hodie *il porto de Sur*, dives olim civitas, genitrix Uticæ, Carthaginis; Leptis & Gadium in extremis Hiſpaniæ; in inſula ſita quondam; ſed navibus junctis ab Alexandro M. expugnata, poſtea terræ juncta eſt, ita ut ſit continens. Hic Fridericus Barbaroſſa undis extinctus tumulum habet. Uno lapide ab hinc 4. fontes ſunt, quarum dulcium à Libano ſcaturientium *Sidon*, ſive Zain, ſerici ſubtiliſſimi, ſindonis,

colore

colore purpureo, è conchis marinis, tincti & vitri è tenuiſſimo ſabulo marino inventrix & artifex. *Cana major*, ad diſtinctionem Canæ minoris in Galilæa. *Sarepta*, tres quadrantes milliaris unius Sidonio diſtans, præcipua fuit vitraria officina; & Eliæ prophetæ apud viduam, cujus filium à morte reſtituerat vitæ, hoſpitantis miraculo clara. *Tripolis*, à tribus conditoribus, Tyriis nimirum Sidoniis & Aradiis.

PALAESTINA, olim terra Promiſſionis, nunc Terra ſancta dicitur; item olim terra Chanaan à filio Nohæ Cham: Palæſtinæ nomen obtinet à gente Philiſtim, robuſta & magna. *Alia eſt* TRANSJORDANIA, *Alia* CISJORDANIA.

Transjordania *minor eſt, in ſe continens eam terræ Chanaan partem, quam inter Syriam, Arabum ſolitudines, Idumæam & Iordanem ſitam, Moſes tribui Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manaſſis diſtribuit.*

RUBENITARUM *primariæ urbes ſunt* Heſbon *&* Aroër, *hæc ad fluvium Arnon ſita.*

GADITARUM *ſunt* Debir, Aroër altera, Mahanaim, Suchot, Phanuel. *ſive* Pniel.

Dimidiæ tribus Manaſſis *ſunt*, Ephron, Aſtharot, Boſra, Hermonim.

Cisjordania *continet* JUDAEAM *&* SAMARIAM.

Cisjordania Palæſtina eſt longè major illâ alterâ; & complectitur illas regiones, quæ inter Phœniciam à Sept. & inter Ægyptum ac Idumæam à Meridie: ab Ortu transjordaniâ regione, ab Occaſu mari Mediterraneo

ſunt incluſæ, ac inter VIII, tribus, ac dimidium per Eleazarum Sacerdotem ac Joſuam Ducem ſunt diſtributæ.

JUDAEA *à reliquis Iſraëlitarum tribubus divulſa cum tribu* Benjamin, *tribum Iudæ complexa à Sept. Samariam, ab Occaſu Philiſtinorum regionem; à reliquis partibus, partim Idumæam, partim mare mortuum pro termino ſeu limite habet.*

Vrbes illius fuere Hieroſolyma *(hodie Chutz,)* Hierichus, Jamnia, *Iudæorum portus*, Joppe, *nunc* Jaffa, Hebron *(aliàs Kiriach Arba)* Arimathia, Lidda, Joppe, Bethania, Bethphage, Bethlehem.

SAMARIA *conſideratur vel latè vel ſtrictè.* Latè *comprehendit omnem terram Chanaan præter Iudæam. Ejus urbes præcipuæ ſunt* Samaria, *nunc* Sebaſte *dicta*, Sichem *&* Endor. *Strictiùs ſumta continet eam Terræ Chanaan partem, quæ tribui Ephraim ceſſit; hanc à Sept. mare Mediterraneum; à Merid. Iordanis; ab Occ. hyberno Iudæa; ab Ortu æſtivo* Galilæa *cingit.*

De mari Mediterraneo, Jordane, & Judæa jam ante actum eſt, itaque connexionem facimus terræ Samariæ cum Galilæa. Hæc terminatur à Septentr. altiſſimis Libani & Antilibani jugis; ab Occid. Samaria, à Merid. Arabiâ deſerta, ab Ortu Cœleſyria.

GALILAEA *eſt vel* ſuperior *vel* inferior.

Superior *dicitur Galilæa gentium, & contermina eſt Phœniciæ; præcipua ejus urbs eſt* Cæſaria Philippi, *ad confluentes Ior & Danis.*

Inferior *vocatur Tyberiades à lacu, quo ab Ortu hyberno clauditur. Vrbes ejus præcipuæ ſunt* Nazareth,

Nazareth, Cana, Capernaum, Bethſaida, Magdala, Tyberias, Chorazin, Naim.

SYRIA *propriè ſic dicta, habet quatuor partes,* Comagenam, Seleuciam, Cœleſyriam, *&* Idumæam.

Syria hæc terminatur à Sept. Ciliciâ & parte Cappadociæ; ab Occaſ. Syriaco pelago poſt Iſſum & Ciliciæ fines incipiente; à Merid. Judæa, ab Ort. parte Euphratis penes Meſopotamiam.

COMAGENA *eſt exigua regio, præcipuam urbem habens* Samoſatam, *& Metropolin* Alepum *ad Singam fl.*

SELEUCIAE *quatuor ſunt inſignes civitates,* Antiochia, Seleucia, Apamæa *&* Laodicæa; *unde ipſa regio tetrapolis dicta, omnes 4 conditæ a rege Seleuco: penes Antiochiam erat Lucus Daphne, Apollinis templo inſignis.*

COELESYRIA, *mirè fertilis regio duobus montibus ab Aquilone & Meridie vallata; quorum alter Libani, qui eam à Galilæa ſuperiori, alter Antilibani, qui à reliquis partibus eam diſtinguit, nomen obtinet. Caput totius regionis eſt* Damaſcus *antiquiſsima urbs & Iſraëlitarum Regum æmula,* Palmyra, Tripolis, *quibus accenſentur* Pella, Geraſa, Gadera, Hippos, Rabba, Philadelphia.

IDUMAEA *à Sept. mari Mediterraneo; ab Occaſu monte Caſio & lacu Sirbonis; à Merid. Petræâ Arabiâ; ab Ortu monte Seir, & per hunc Judæâ terminatur.*

Diſtribui poteſt ita latè extenſa in Maritimam, *cujus urbes ſunt,* Gaza, Aſcalon, Azotus: *Et* Mediterraneam, *quæ ſedes Idumitarum*

propriè ita dicta fuit ad montem Seir, *cujus urbes*, Gerar, Ekron, Thamam, *&c.*

CHALDAEA *ſtricte ſic dicta dicitur* Babylonia.

Finitur à Septent. Meſopotamiâ; ab Occaſu, Arabiâ deſertâ; à Meridie, eâ ejus parte, quæ ſinus Perſici receſſum attingit; ab Oriente, Suſiana.

Vrbs ejus celebrior eſt Babylon, *à Semiramide exſtructa, præter hanc* Orcha, *in ſacris*, Ur Chaldæorum.

MESOPOTAMIA *terminatur à Septentr. majoris Armeniæ parte; ab Occaſu Euphratis parte, quæ Syriam; à Meridie quæ Chaldæam alluit; ab Ortu fluvio Tygris & Aſſyriâ. In hac ſitæ ſunt urbes*, Edeſſa, Haran, *&c.*

ASSYRIA, *hodie* Arzerum, *latitudine fere æquat Meſopotamiam, longitudine verò major eâ eſt. Limites ei ſunt à Septentr. pars majoris Armeniæ, ab Occaſu Meſopotamia, à Meridie Suſiana, ab Ortu pars Mediæ, ejus clariores urbes fuere* Nineve *&* Arbela.

Hucuſque de prima principali inter Meridionales Aſiæ majoris provincia: ſequitur ſecunda, *quæ eſt* PERSIA.

Hoc nomine comprehendimus omnem illum tractum, qui eſt inter Oxum ſive Albianum fluvium. mare Caſpium & Iſthmi Aſiatici partem à Septentrione: ab Occaſu vero inter lineam à finibus iſthmi, vel potius ab Occidentaliſſima maris Caſpii parte, in curvum paulatim circa Margianam paludem extenſam ad Euphratis uſque fauces; tum à Meridie intra ſinum Perſicum & Oceanum,

Oceanum ; atque ab Ortu intra Indum fluvium. Ita ab Ortu habet fluv. Indum & partem Tartariæ; à Septentrione Tartaros juxta Oxum fluvium , & mare Caſpium; ab Occaſu Turcas juxta lacum Giocho , & fluvios Euphratem , Tigrim, & Araxem; à Meridie ſinum Perſicum, qui dicitur *Elcatiff*,& mare Indicum: Longitudo hujus regionis ab oſtio Araxis uſque ad oſtia Indi eſt milliarium 460. latitudo ab Oxo flumine ad mare uſque Perſicum 270.

PERSIAE *regiones conſiderabimus ex ſitu , nimirum uti ab* Occaſu, *ab* Oriente *&* *in* medio *Perſici imperii jacent.* Ab Occaſu *ſunt* ATROPATENA , MEDIA MAGNA *&* SUSIANA,

ATROPATENA *habet à Septentr. regionem Giorgianorum*; *ab Occaſu Armeniam majorem*; *à Meridie Mediam*; *ab Ortu mare Caſpium. Metropolis ejus eſt* Simiachia , *reliquæ ſunt* Derbent, Erex, Zeken *&c.*

MEDIA *Occidentali latere præter Armeniam , Aſſyriam attingit , hodie* Sarch *dicitur*, *Ejus caput eſt* Tauris *ad Orontem montem , olim* Ecbatana , *Perſarum regia , quâ ab Amurathe anno* 1585. *Perſis ereptâ, Tamaſes Sophus ſedem regiam in urbem* Caſminum *tranſtulit.*

SUSIANA , *quæ nunc* Elaran ; *à Septentrionali parte , Aſſyriæ partem ; ab Occidentali Babyloniam ad Tygridem ſitam ; ab Auſtrali ſinum Perſicum , ab Orientali Perſiam attingit*; *præcipua ejus urbs eſt* Suſa *& poſt eam* Tariana.

AB ORIENTE *præcipuæ in Perſia regiones*

 ſunt

ſunt Hyrcania, Ariana, *&* Drangiana.

HYRCANIAE, *unde proximum mare Hyrcanum dicitur, caput eſt* Hyrcana, *deinde* Amaruſa. *Huic provinciæ accenſemus,* 1. MARGIANAM, *hodie* Elſabar *dictam, quæ eſt Orientalior; Vrbs ejus fuit* Antiochia Margiana; 2. BACTRIANAM, *hodie* Coraſan, *qua Margianæ ad Ortum adjacet. Vrbes præclaræ ſunt* Bactra, & Ebuſmi.

ARIANAE *ſive* ARIAE, *nunc* Diargument, *urbes ſunt* Aria, Bitaxa, Alexandria. *Huic ab Ortu adhæret* Paropamiſadum *regio*, *nunc* Sableſtan; *cujus urbes*, Carura, Nanlibiſen.

DRANGIANA, *nunc* Sigiſtan, *cujus urbes* Ariaſpe *&* Prophthaſia; *Huic ab Ortu Septentrionali* Arachoſia (*hodie* Candahor,) *cujus urbs* Arachotus *adjungitur*; *ab Ortu Meridionali* Gedroſia (*hodie* Kheſimur *&* Guzarate) *cujus urbes ſunt* Parſis, urbis, *&* Cuni.

IN MEDIO PERSICI *imperii eſt* Parthia, Perſia *&* Caramannia.

PARTHIA, *hodie* Arac, *urbes habet* Hecatompylum *à centum portis ſic dictam, &* Cteſiphonem *hodie in ruinis*.

PERSIA, *hodie* Farſi, *cujus Metropolis* Perſepolis, *hodie* Syras.

Caramannia, *cujus provinciæ ſunt* Kirman, *&* Goadel; *urbes* Chirman, *&* Goadel, *præterea regio eſt deſerta, nulliſque urbibus clara.*

Tertia Aſiæ Majoris Meridionalis *provincia eſt* INDIA ORIENTALIS,

Indiæ medium ferè ſub Tropico 69 eſt ſitum, longitudo autem ejus non eſt uniusmodi, cum in continenti ſit anguſtior & arctior;

arctior ; ubi verò in mare ſe extendit amplior & latior. A Septentrione partem Tartariæ ~~Aſiaticæ~~; ab Occaſu Perſicum Imperium Indo fluvio diſterminatum ; à Merid. & Orientali parte Oceanum & Chinenſium regionem in parte finitimam habet.

Diviſio hujus Indiæ *eſt in tres partes*, *prima* Occidentalior , *altera* Orientalior, *tertia erit* Septentrionalior.

Illa dicitur aliàs India minor, & India intra Gangem , hodie *Indoſtan* ; Iſta India major & extra Gangem, hodiè *Mangi*; Hæc Magnum Mogorem Regem agnoſcit.

Occidentalior, *quæ eſt intra Gangem, regna habet*, 1 Orixam *intra Narſingam & Bengalam regna, urbs præcipua eſt* Orixa. 2, Narſingam , *in qua urbes* Narſinga *&* Biſnager. 3 Coromandel, *in qua urbes* Palicate, *huic prope abeſt* Danisburgum *ſub Domino*, *qui Neique de Tanjur dicitur*, *ſed Danorum negotiationibus patet ibi pagus* Trangan Bari *ſub eorundem juriſdictione. Quatuor inde milliaribus diſtat* Negapatam , *ubi Luſitanorum negotiationes*. (Danorum negotiatio inſuper eſt in opidis *Porto novo, & Potecher* penes Caleturam, unde goſſypium tela magno pretio ad alias Indiæ urbes exportantur.) Maliapor, *ubi D. Thomæ ſepulchrum* ; *utraque Batavorum negotiationibus claræ*. 4. Malabar, *in qua urbes* Calicut , Cochin, *hinc piper evehitur*, *paret Luſitanis*, Cananor, Coulam, Mangalor, *&c.* 5. Cambajam *in qua urbs* Cambaja , *quæ ob magnitudinem* Cairum Indiæ *appellatur* , Dio *arx*, Goa, *in Inſula ſita*; Damaon *in continenti*

Hiſpanorum præſidiis firmata. 6. Decam, *à quo regnum quondam nomen obtinuit.*

Orientalior *quæ eſt extra Gangem, regna habet* 1 Cambodiam, *ubi urbs ejuſdem nominis.* 2 Siam, *ubi* Siam urbs *&* Malacca *in Cherſoneſo ſita, aromatibus dives.* 3 Pegu, *cujus urbs* Pegu, *regi de Pegu parens, ad hunc regnum* Ava *quoque pertinet.* 4 Bengalam, *ubi* Bengala. 5. Aracam *cum urbe cognomine.*

Indiam Septentrionalem, *quæ nunc* Mogor, *nomen ſortitam ferunt à Tartarorum Regibus qui numeroſo milite ſedibus ſuis egreſſi has provincias ſibi ſubjecere, unde* Magni Mogores, *ſive* Mogoles *ſalutantur, huic Regulus de Decam eſt vectigalis. præcipuè in adamantæis gemmis, nec non alii in India Occidentaliori Reguli.*

Regia ejus eſt Delli, *huic ſubjiciuntur urbes* Citor, Molian, Mandæo, Sanga, *quælibet urbs regno dat nomen, nam in India non Principes, ſed Reges numerantur, ſuo tamen ordini non pares.*

Quarta Aſiæ Meridionalis pars ſive regio eſt CHINA, *olim* Sina, *cujus* magnitudinem, limites *&* provincias *ſeu præfecturas videbimus.*

Magnitudo *eſt tum in longitudine, quæ à Tartaris ad mare Eoum excurrit ad regnum Sian, ad milliar. German.* 600; *tum in latitudine, quæ inter Damaſia juga & Oceanum continet milliar.* 300.

Limites *ejus ſunt ab Ortu Oceanus Eous ſive Chinenſis; à Meridie idem Oceanus & regnum Sian; ab Occaſu Damaſii montes, quibus ab Indis & Tartaris ſejungitur; à Septentrione Ottorocora mons & murus* 300 *& plurium milliar. German.*

man. contra Tartarorum incurſiones exſtructus.

Præfecturæ Chinenſis *ſunt vel* maritimæ, *vel* Mediterraneæ. Maritimæ ſunt VI, Cantam, Foquiem, Chequiam, Nanquin, Xanton (*olim Quinzai*) *&* Paquin. Mediterraneæ *ſunt* IX. Xiamſii, Canſii, Sancii Huanum, Ivana, Fuquam, Suinam, Quichen, Quancii. *Huic regno vicinum eſt* Cochinchina *regnum, Chinenſibus vectigale.*

Quæque præfectura habet primariam urbem ſui nominis: numerantur civitates in hoc regno 240, præter opida & pagos. Refertur de hoc regno, ſi candidi coloris hominem aliquem intromiſerint (quamvis ſint qui Chinam intus ſe vidiſſe affirment, quod tamen noſtrates negant) regnum iri expugnatum & ad aliud ſceptrum devolutum; idque è vaticinio habent, unde nemini peregrinorum candidorum intrare licitum, ipſi verò incolæ merces ſuas, quæ ſunt aurum, argentum, Rhabarbarum, Saccharum, Oryza, ſericum, vaſa porcellana, &c. exportant, & lege caverunt ne impoſterum vel ipſorum Rex vel ipſi finibus ſuis egrederentur militatum, ſed ſua ſaltem defenderent. Vaſa illa Porcellana, figulina opera, quæ in Belgium hodiè abundanti manu proſtant, hoc fieri modo dicuntur: Cochleas quaſdam marinas ovorum teſtis miſcent, aliaque quædam addentes, ſubigunt & maſſam conficiunt, hanc ſub terra condunt, ibique eam macerari ad octuageſimum vel centeſimum uſque annum ſinunt, hæredibuſque ſuis pretioſi the-

ſauri loco relinquunt. Ipſique eâ utuntur quam avi atavique poſuere; obſervantque ex veteri inſtituto, ut qui veterem tollit maſſam, recentem, ejus loco recondat.

Gens inſuper hæc currus illos veliferos die Windwagen dicitur inveniſſe, (quorum fabricam Schevelingæ in pago Hollandiæ propè Hagam vidimus, quibus duarum horarum ſpatio 14 milliar. Hollandica ad litus abſolvi poſſunt) quos velis ventiſque per campos & loca plana, veluti navigia per mare dirigunt. Artis Typographicæ & tormentorum bellicorum prima inventio hic fuit, de qua nos Germani tamen gloriamur. Scriptura non lævorſum aut dextrorſum lineis rectis jacentibus fit, ſed pendentibus deorſum: loco literarum uſurpant characteres & figuras, quas ligno & laminis inſcindunt; ſingulæ rerum ſingularum ſunt notæ, prima DEUM indicat, cæteræ res alias, ſuntque iſtjuſmodi notarum millia quinque apud eos, quæ ſolo linearum ductu conſtant, &c.

Hucuſque de ASIA MAJORI MERIDIONALIS; *ſequitur* SEPTENTRIONALIS, *quæ dicitur* Tartaria Aſiatica.

Tartariæ, *cujus nomen eſt à fluvio Tartar, videbimus* ſitum magnitudinem *&* provincias.

Quoad ſitum; *à Septentrione per mare Scythicum in terram incognitam; ab Occaſu per ſinum longum, in quem Obius fluvius influit, & per lineam inde ab utroque ad Volge ſeu Rha fluvii in mare Caſpium elabentis oſtia ductam primò Moſcoviam, pòſt Caſanenſes & Aſtraganenſes*

nenſes

venſes Tartaros, ſed Moſcovitica ditioni, à ſe diremptos habet; tum à Meridie Caſpio mari Hircaniam, Oxo fluvio Margianam & Bactrianam, poſt montibus Indiam extra Gangem, & tandem partem Chinæ muro illo à ſe disjunctam attingit: ad extremum ab Ortu partim Chinam, partim ipſam Americam per fretum Anian à ſe diſtinguit.

Magnitudo *ejus eſt tum in longitudine, quæ à Boryſthenis oſtiis ad Tabin promontorium uſque ſe extendit ad milliar.* CIↃ *Germanic. tum in latitudine, quæ ab oſtio fluminis Obii ad Bramas uſque in confinibus Indiæ ac Chinarum excurrit ad milliar.* IↃC.

Provinciæ *Tartariæ conſtituuntur quinque.*

1. Tartaria deſerta *in hordas ſuas, id eſt, conventus aut agmina diſtincta; præcipuæ earum ſunt,* Zavolhia, Caſane, Nagaja, Tumen, Schibanska, Coſaka, Aſtracan & Baskirda (*præter Tumen omnia hæc loca ſubjacent Moſcovitæ.*)

2. Tartaria Zagatai, *in qua ſunt* Samarcanda *Tamberlanis patria*; Sahasba & Bichend *urbes, his adjiciuntur* Czyrkaſſi *populi.*

3. Turcheſtan, *in qua* Taskent, Cotam. Caſcar & Jarkem.

4. *Regnum* Catajæ, *hodie* Kitay, *magno Chamo ſubjectum, præcipua ejus urbs eſt* Cambalu, *magni Chami ſedes, ubi ſerici abundans negotiatio; non enim dies abit, quo non mille currus ſerico oneratos ibi conſpicias venum.*

Ditiones hujus regni ſunt, 1 Tangud, *in qua ante mille annos dicitur inventa ars typogr.*

2. Camul. 3. Engimul. 4. Carazan, *in qua non puerperæ ſed mariti* XLII *dies in lecto decumbebant loco puerperæ.* 5. Caindu. 6. Thebet, *ubi corallis utuntur pro moneta.* 7. Tenduc *provincia Regis Iohannis Presbyteri, quod nomen falsò in Africam ad Abyſſinorum Regem pòſt delatum eſt.*

5. *Tartariæ provincia eſt* Tartaria vetus, *ubi* Ung *&* Mongul *regiones, Gogi & Magogi antiquæ ſedes.*

CAPUT XIV.

De Inſulis ASIAE.

H*Actenus de continentibus Aſiæ partibus; ſequuntur noſtrâ methodo ejuſdem* INSULAE, *quas diſtinguemus ſecundum* mare Particulare *&* Oceanum.

Mare eſt Mediterraneum, in quo Rhodus *&* Cyprus.

Rhodus *minor eſt quàm Cyprus, continens ambitu* 30 *mill. Germ. in qua urbes* Lindo, Camiro, *&* Jalyſo, *hodie* Rhodus *dicta. Solymannus II. Imp. Turcicus ejectis equitibus Ioannitis, qui inde Melitam ab Hiſpano acceperunt, eam occupavit anno* 1522. Sed de hac ſupra ad Inſulas Europæas.

Cyprus *nomen habet ab æris Cupri copia, quod hic primùm inventum narrant.* Longitudo ejus eſt milliar. 40; latitudo 25: Eam Selymus Turca Venetis eripuit anno 1570.

Metropolis ejus eſt Nicoſia, *deinde* Famagoſta *&* Ceraunia, *ſive* Cerines.

Oceanus eſt triplex, I. INDICUS, *in quo*

primò

primò ſunt Inſulæ Maldivæ *quarum aliquot millia numerari dicuntur : Omnes inter eas prima eſt* Ceilon, *Incolis* Tenariſin, *in ſinu Gangetico ſita.* De ambitu, longitudine & latitudine Authores cum multùm diſcrepent, nos iſtam litem non componemus; adeantur novi Hiſtorici & Scriptores, qui enavigarunt illam & alias Indiæ Inſulas, quos hic inferre ſuperſedemus. Inſula hæc fert arbores perpetuò floribus aut fructibus onuſtas, ut ſunt mala Aſſyria incredibilis ſuavitatis, mala Medica, Citria optima, Aurantia Limones aliique fructus nobiliſſimi. Fert & Palmam & aromata, Cinnamomum, Cardamomum, Caryophyllum, Piper & alia. Educit præterea omne genus ferarum, in primis Elephantorum, qui nobiliſſimi in omni Orientali India hic proveniunt, hiſque privata quadam ſubmiſſione reliqui ex aliis partibus cedunt. Olim hic unus Rex imperabat, nunc in novem regna Inſula eſt diſtributa.

Colmuchi *eſt primaria civitas, ubi arx* Colombo, *quam Hollandi Luſitanis ejectis vi occuparunt & adhuc poſſident, uti amici Regis vicini, multumque hic negotiantur.*

Secundò Inſula SUMATRA, *antiquis* Taprobana; *Diviſa eſt in* 10 *regna, urbes ejus ſunt* Achem, (*cujus Rex amicus eſt Hollandis*) Pedir, Ticou, Priaman *&* Palymbao, *Luſitanis amica.* Ager milium & Oryzam profert, melle, zingibere, Benzuino, Camphora, Agarico, Caſſia abundat; Piperis vulgaris & oblongi uberrimus hic proventus, qui

quotannis magna copia Cathajum exportatur. Elephantes nuſquam majores aut bello aptiores reperiuntur.

Tertio JAVA MAJOR, *Inſula omnium rerum abundantia felix, quam Scaliger ab ubere proventu* Compendium orbis *appellare non erubuit. Ejus Metropolis eſt* Bantam, *nobile à mercatura emporium, item* Choribon *&* Japapara, *omnes hæ piper emittunt per Anglos & Hollandos. Hi verò* Jacatram (*hodie* Bataviam novam) *vi expugnarunt & munitionibus firmarunt contra Inſulanos, quibuſcum adhuc non ſunt reconciliati.* Urbis ejus inſignia ſunt gladius denudatus & ſertum laureaceum: Præfectus ibi nomine Hollandorum reſidens cæteris etiam fortalitiis in India imperans, ſingulis tribus annis à regimine ſuo abit, alio ei ſubſtituto. Jus per Præſidentem & Scabinos adminiſtratur; Camera rationum, à qua reliquæ omnes in India dependent, heic ſuprema eſt. Cæterum hæc Inſula tantam piperis fert copiam, quantam Germania uvarum.

Quartò JAVA MINOR, *ſive* Cambaba, *à Metropoli denominata.*

Alter OCEANUS *eſt* Eous, *ſive* CHINENSIS; *in quo Inſulæ,* 1. BORNEO, *ubi urbs* Borneo *maritima, Item* Sucadano *&* Bandarmaſſin, *nobiles ob piperis negotiationem portus.* Inſulæ ambitus fertur bis mille & ducent. milliarium; rebus omnibus ad vitam victumque neceſſariis inſtructa, heic Camphora, Agaricum, Adamantes, Equi puſilli inveniuntur & parvo pretio addicuntur.

2. CE-

2. CELEBES, *ubi* Macaſſar *emporium celebre ob cariophyllorum negotiationem, à Luſitanis, Anglis & Belgis frequentatum: accedunt permutationes Chinenſium mercimoniorum.*

3. Cenaon, *cum inſulis vicinis, è quibus nuces myriſticæ & macis exportantur.*

4. Ceiram.

5. Gilolo.

6. Amboina *cum adjacentibus Inſulis, cariophyllorum ferax.*

7. Banda, *cum inſulis* VI *circumjacentibus. Illam Hollandi armata manu expugnatam tenent.*

Hæ inſulæ nuces Myriſticas & Maſtichen eadem ex arbore protudere feruntur. Myriſtica nux triplex habet involucrum; primum durius & craſſius contra vim ventorum, & pluviarum, alterum membranæ inſtar tegumentum eſt, quod Muſcatæ flos, ſive Macis dicitur Hiſpanis, nobis ſalubre illud aroma eſt Muſcaten Blum; tertium eſt putamen ligneum in quo ipſa nux hæret. Zingiberis hic ſilveſtris & ſativi magnus proventus, ſed Chinenſis radix omnia alia genera ſuperat.

8. Inſulæ Moluccæ *numero* V: Ternate, *in qua* Gamalama *caſtellum Hiſpani tenent*; Tidor, Motir, Machian, & Bachian. Inſulæ ſunt parvæ, maxima vix ſex mill. paſſuum ambitum habet, omnes ſpatio 25 milliarium concluduntur: aër & ager hîc malus; mercatores pluris lucrum quàm vitam facientes hic mortem oppetunt. Ager ſpongioſus, imbres non dixerim pluvias abſorbens.

Fructus

Fructus fert, nuces myriſticas, maſtichen, lignum aloës, ſandalum, Cinnamomum, zingiber, piper & cariophylla ſine omni terræ cultura: Cariophyllorum fructus flore collapſo, paulatim protuberant in formam clavi, unde Germanis dicuntur *Nägel* & *Nägelken*, quaſi claviculi: initio rubri ſunt coloris, pòſt ſole cocti & toſti nigreſcunt. Reperitur in his Inſulis avis *Manucodiata*; quæ nobis *Paradyß-vogel* dicitur, elegantiſſimarum pennarum & alarum. Cæterum *Moluccæ* repertæ ſunt Caroli V auſpiciis, quam rem, quia in primis memorabilis, libet paulo altius repetere. Quum inter Luſitanos verſus Orientem, Caſtellanos in Occidentem, pomœria ſuorum Principum promovere pro virili adnitentes diſſidium eſſet ortum, ne alteri alteris eſſent impedimento, novus ille Orbis, auctoritate Alexandri VI Pontificis & aliorum, in duas partes eſt diſtributus: (de hac deſtributione vide VVlloam Hiſtoricum) ſcriptis legibus & conditionibus, ut quidquid inſtitutâ ab Atlantici maris Inſulis, quæ Heſperides ſolent dici, navigatione Orientem verſus reperiretur, Luſitanorum eſſet; quidquid ad occidentem, Caſtellanis cederet: ſic horum beneficio pernotuit America; illorum Orientis pleraque, ita lucri ſtudio lapſu temporis excurrentium, ut dicerentur etiam perrumpere in adjudicatam Caſtellanis portionem, quæ controverſia decidi non potuit, niſi Ferdinando Magellano quaſi judice. Hic enim Luſitanus, odio in Ema-

nuelem

nuelem ſuum Principem, ob non bene penſatam, quam illi navârat, & effecerat operam, exſtimulatus, docens *Moluccas* ex factâ diſtributione pertinere ad Caſtellanos, anno CIƆ IƆ XIX auſpiciis Caroli Quinti ad quærendum dimiſſus aliâ viâ Inſulas, quas dixi. ita navigationem ſuam temperavit, ut ex Hiſpania in Auſtraliora cœli ſpatia ad gradum latitudines LII delatus, & inde converſa ad Occidentem Solem claſſe, per inferius Hemiſphærium immenſo cœli mariſque tractu ſuperato, ſub Orientem Solem ad Moluccas Inſulas, quas quærebat, tandem naves ejus pervenerint; ac inde per ſuperum Hemiſphærium prætervecti ejus ſocii litora Aſiæ & Africæ in Hiſpaniam redierunt, pernavigato ſemel (auſu admirando & à nullo mortalium tentato) toto terrarum orbe. Ipſe autem *Magellanus* ante repertas *Moluccas* prælio contra Barbaros occubuit; & poſt inveſtigatas *Moluccas* à ſociis ſuperſtitibus ejus navigationis, cæteris navibus diſperſis, captis & detentis, una tantùm navis ſuperſtes & incolumis in Hiſpaniam rediit aromatibus onuſta & margaritis. Digniores profectò nautæ, qui æternâ memoriâ celebrentur, quàm qui cum Jaſone Theſſalo Argonautarum Principe ad Colchidem navigarunt Argonautæ. Navis etiam ipſa, quæ una ſoſpes & ſalva domum rediit poſt exantlata tot pericula, multo dignior; quæ inter ſydera collocetur, quàm vetus illa Argo: hæc namque ex Græcia duntaxat per Pontum vecta eſt: Magellanica verò

ca verò ex Hiſpania Auſtrum verſus, indeque per inferius Hemiſphærium in Orientem penetrans, rurſum in Occidentem in Hiſpaniam per ſuperius Hemiſphærium emenſo ſemel, quod dictum eſt, univerſo terrarum orbe, remeavit. Satis de his ex Atlante Majore.

9. Timor. *Hac Sandali albi & flavi ferax eſt, quod Inſulani ferro, ſecuribus, gladiis & cultris permutant. Rubrum Sandalum, quod in tractu Coromandel & Tanaſſerin in India creſcit, non fert.*

10. Philippinæ, ſub Philippo Hiſpan. Rege detectæ & occupatæ, Ptolomæo *Baruſſa* dictæ. Præcipuæ earum ſunt *Luzzonia*, in qua Hiſpani condiderunt urbem *Manillam* ad mare *Tandir*, quæ ſingulari nomine dicitur *Philippina*, cæteris præſtantior & amœnior. *Mindanao* in qua aliquot urbes mercimonia tractantes: Ad Occaſum harum Inſularum eſt *Calamianes* Inſula, aliis *Palohan* dicta. Ex his Inſulis Hiſpani, qui maximam partem tenent, cum Inſulanis vicinis & Chinenſibus mercantur, nec non onuſtas mercibus naves in Novam Hiſpaniam & regnum Mexicanum emittunt: Merces verò potiſſimùm ſunt Oryza, ſaccharum, legumina, mel, ficus, auri & ferri metalla.

11. Formoſo, *Chinæ regno propior*, ubi Hollandi occuparunt *Tayoan* celebrem locum, cum Inſulanis continuis conflictibus ſe exercentes; 12 à fortalitio illo Hollandico milliaribus Luſitani tenent caſtellum.

12. *Orientem verſus ſunt permulta Inſulæ,*

quas

quas Hiſpani Iſlas de las Velas *appellant.*

13. *Inſulæ* Japanæ, *quarum ſunt complures modicis fretis & Euripis interfluis inter ſe diſtinctæ, præcipua eſt* Japan, *cujus urbes ſunt* Meaco, *ubi ſummus Japoniæ Magiſtratus reſidet: &* Oſſacaja.

14. *Huic adjacet Inſula* Cikoko, *ubi* Nageſacki *emporium ab Hollandis frequentatum.*

15. Firando, *Luſitanorum frequenti appulſu clara.*

16. Caoli, *magna Inſula intra Chinam & Japoniam ſita, ubi* Tauxem *primarius locus.*

Tertius Oceanus eſt Septentrionalis *ſive* Scythicus, *in qua* Tazata *inſula. Hucuſque de Aſia; ſequitur Africa.*

CAPUT XV.

De AFRICA in genere.

SEcundum methodum noſtram, AFRICAM, tertiam veteris orbis partem fecimus, ASIAE annexam per Iſthmum, cujus intercapedo milliarium xxv eſſe æſtimatur.

Africæ *videbimus* Situm, Terminos, magnitudinem & partes. *Situs vel* exterior, *vel* interior.

Exterior *eſt in forma peninſulari, quæ ultra Tropicum Cancri & Capricorni procurrit, & tam verſus Arcticum, quàm Antarcticum ſe extendit, ita ut mediam ſecet Æquinoctialis. Ambitu ſuo complecti dicitur tria millia & triginta milliaria Germanica.*

Interior *reſpicit montes & fluvios.*

Mons

Mons Africæ fabuloſiſſimus eſt ATLAS, *ultra Lybiam interiorem ſitus, Poëtis ob Satyrorum laſciviam ſatis notus & decantatus. Alius item in Ægypto penes Damiatam mons* Caſius, *nunc Lariſſe.*

Fluvii ſunt I. NILUS *in Ægypto, qui ad* Δέλτα *opidum per omnem Ægyptum diſperſus* VII *oſtiis (quæ ſunt* Canobicum, Bobbitinum, Sebeniticum, Phadineticum, Mendeſium, Thaniticum *&* Peluſiacum) *in mare Ægyptium ſe præcipitat: Quia Ægyptus pluviam vel imbres neſcit, Nilus officium hoc præſtat; bis in anno ſtatis diebus magno auctu per totam Ægyptum ſeſe exonerans, fœcundat terram, fertilemque facit.*

2. *In Africa minore ſunt fluvii* Cinyphus, Triton, Carada *ad Carthaginem*, Bagradas *ad Vticam*, Tuſca *ubi terminus Aſiæ minoris.*

3. *In* Numidia *eſt fluvius* Rubricatus.

4. *In* Mauritania *eſt* Malva.

5. *In* Lybia *interiore eſt* Niger.

Termini *Africæ ſunt à Septentr. mare Mediterraneum; ab Occident. Oceanus Atlanticus; à Meridie mare Æthiopicum; ab Ortu Sinus Arabicus, mare Rubrum & Arabiæ dorſum.*

Magnitudo, *quâ longitudinem eſt inter fretum Gaditanum & Promontorium ſeu caput bonæ Spei, quâ latitudinem inter promontorium Heſperium ſeu Cabo verde, & Goardafui, ita ut in univerſum Africa multò major ſit Europâ, ſed non ita culta, nec ita fertilis ob multa deſerta.*

Partes Africæ *ſunt vel* Continentes *vel* Inſulæ.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Continentibus Africæ partibus.

CONTINENTES *Africæ partes nobis erunt Septem:* Ægyptus, Barbaria, Numidia, Lybia, Nigritarum regio, regnum Congi, *&* Æthiopia.

I. Ægyptus, ab Ortu ſinu Arabico ſeu mari Rubro; à Septentrione mari Mediterraneo, ab Occaſu Barcana terra; à Merid. deſertis Æthiopiæ clauditur; Turcæ regnum hoc occuparunt anno 1516, & hodie tenent. *Vrbes præcipuas habet* Cairum, *vulgò* Alcair, *quondam* Memphis *ſive* Babylon.

Olim hic regia fuit Sultanorum Ægypti; hortus Balſami *Materea* dictus propè abeſt, cujus proventus hic uber, & è Judæa, ubi olim fuit, huc tranſlatus fertur. Penes Cairum rudera adhuc Pyramidum conſpiciuntur.

Alexandriam, *ſive* Scanderiam, claram à bibliotheca & bibliorum verſone. Juxta hanc fuit Pharos Inſula, quam Cleopatra urbi junxit.

Sues, *olim* Arſinoen *ad ſinum Arabicum.*

Damiatam, (*quondam* Peluſium) *quæ ab Harlemenſibus Hollandis expugnata, perpetuò triumpho & teſtimonio iis argenteas campanulas in primario ibi templo ſuſpenſas reliquit.*

Roſettam, *vulgò* Raſchit, *ubi Veneti ſuum Conſulem, quem* Bailo *vocant, habent.*

II. Barbaria, *ſita inter mare Atlanticum & Mediterraneum, inter Ægyptum, Lybiæ deſerta & montem Atlantem diſpeſcitur in VI*

Regna;

Regna; 1. *eſt regio* Marmarica, *hodie* Barca.

Hæc ad mare Mediterraneum intra Ægyptum & regnum Tunetanum ſe extendit, nomen habens à *Barce* antiqua urbe. Olim Cyrenaica dicta & Pentapolitana à v. urbibus, nimirum *Berenice*, *Arſione*, *Ptolemaide*, *Apollonia* & *Cyrene*. Hodie urbes ejus adhuc ſunt, *Cyrene*, *Talometa*, & *Bernicho*.

2. *Eſt regnum* Tunetanum.

Regnum hoc à veteribus Aphrica propriè ita dicta erat, & in IV provincias diſtribuitur, 1. in *Conſtantinam*, ubi ipſa civitas *Conſtantina*, deinde *Bona*, olim *Hyppo*, D. Auguſtini patria & Epiſcopatus. 2. In *Tunetanam*, ubi præcipuæ urbes, *Aphrodiſium*, *Carthaginis rudera*, *Heraclia*, *Tunetum*, ſive *Tunes*, cum fortalitio *Goletta*, à Carolo V. occupatum anno 1535. *Biſerta*, olim *Vtica*, nota illa morte & nomine Catonis junioris, *Porto farina*. 3. In *Tripolitanam*, quæ *Tripolin*, *Zoroatam* & *Lepiden* civitates habet. 4. In *Cebenſem*, quæ ut pars Numidiæ ad interiorem Libyam pertinet.

3. *Eſt regnum* Tremiſanum, *ubi* Tremiſen, Algira, *Turcicis pyratis referta*, Arſen, *&c.*

4. *Regnum eſt* Feſſanum, *quod ad fretum Herculeum Hiſpaniam oppoſitam habet. Præcipua ejus urbs eſt* Fez, *reliquæ ſunt* Arzilla, Tanger, Ceuta, Oran, *poſtremis Hiſpanica præſidia ſunt impoſita; maximam tamen partem ad mortem ibi damnati, hic perpetuo ergaſterio premuntur.* Oran *anno* 1509. *per Petr. Navarrum fuit expugnatum.*

5. *Eſt regnum* Marocum, *cujus caput* Maroco

Maroco *nobiliſſima totius Barbariæ. It.* Taradante.

6. *Eſt regnum* Darenſe, *cujus caput* Dara.

III. Numidia, *hodie* Biledulgerid; *regio vaſta ſed inculta, ab Ægypto uſque ad Oceanum Atlanticum ſe extendens; abundat dactylis, unde ei nomen obtigit; Metropolis ejus eſt* Biledulgerid.

Continet præterea in ſe ſex regna, *Zanhagam, Zuenzigam, Targam, Lemptam, Berdoam,* & *Goagam,* quælibet urbem habet cognominem.

IV. Libya, *quæ vel exterior, hodie deſertum* Eleocat, *vel interior, hodie* Sarra *deſertum, ubi* Caſena *&* Guangara *regna.* Regio hæc præter arenas nihil ferè progenerat, & tota aquis penè care,t ſi excipis lacum Targam.

V. Nigritarum regio *à Nigro flumine denominata, verùm & incolæ coloris ſunt nigerrimi; alio nomine & nobis cognito dicitur* Guinea, *incolis* Ghinni.

Regio hæc multis regnis abundat, ut Nubiæ, &c. quæ hic inſerere non libuit; dives aliàs fructibus, oryza, aromatibus, &c. auro inſuper; animalibus, Elephantis, ſimiis, pavonibus, pſittacis cinericiis.

In hac eſt Opidum S. Georgii, *ſive caſtellum Luſitanorum* Mina. *Item promontorium* Sierra Liona, *hoc eſt rupes Leonum, immenſæ altitudinis, cujus vertex nunquam non nubibus tegitur, ex eo ingentes fremitus longè audiuntur, haut dubiè ex aſſiduo tonitru & coruſcatione.*

VI. Regnum Congi, *ſeu* Manicongo *à primaria urbe* Congi *nomen habens.*

Regio

Regio fertiliſſima, ſi ulla alia; hîc triticumr milium, oryza, palmæ, nuces Indicæ, Caſſiæ, Cedri, Pepones, &c. hic argentum; hic Elephantes, Leones, Tigres, Bubali, Onagri, lupi, cervi, vulpes, lepores, cuniculi, ſimiæ, chamæleontes, porci, oves, capri, (exceptis bobus & equis ſimilibuſque jumentis) hic pſittaci virides & cinericii, ſtruthiones, pavones, gallinæ Indicæ, perdices, phaſiani, columbæ, turtures, aquilæ, grues, falcones, accipitres, ardeæ candidæ & quæ non animalium genera inveniuntur.

Dividitur regnum in VI *provincias, quæ ſunt* Bamba, Songo, Sundi, Pango, Batta, Pemba, *quodlibet regnum à primario loco nomen habet; primaria tamen civitas eſt* S. Salvatoris, *olim* Banza, *quæ vox ſignificat aulam, ſita in excelſo monte:*

Ab hoc regno prope diſtat provincia Angola, *inſaiubris ab aëre, vermes in hominum corpora progenerante. Rex hujus Congiano tributum ſolvit.*

VII. *Sequitur* Æthiopia, *quæ duplex eſt; ſuperior, ſeu interior; & inferior ſeu exterior.*

Superior, cujus Regem magno errore faciunt presbyterum Joannem, *hodie eſt Abyſſinorum regio.*

Olim continebat XXVI regna, qui parebant Regi Abyſſinorum, cun hodie IV tantum ei pareant, reliqua occupant Turcæ, Saraceni & gentiles idololatræ: Emporia celebriora in iis ſunt *Melinda, Monbaſa, Quiola,* (hujus rex eſt Hiſpano tributarius) *Moſambique,* quæ ſubeſt Luſitanis.

Inferior

Inferior *Æthiopia à ſuperiori diſtinguitur per montes Lunæ. Caput ejus eſt* Monemetapa, *quæ provinciæ nomen dedit.* Ibi *promontorium,* quod *Caput bonæ Spei* dicitur, à Vaſco de Gama anno 1497 primitùs detectum. Periculoſa hic navigatio fertur, cum ne ipſo quidem ſinu oſtiove fluminis naves tutam ſtationem habeant.

CAPUT XVII.

De INSULIS AFRICAE.

H*As videbimus ſecundum Oceanum, & inde earum ſumemus diſtinctionem. In* Mari Atlantico *verſus occaſum ſunt* Madera, Fortunatæ, *hodiè* Canariæ, *de quibus ſupra egimus in Hiſpania, referentes eas ad Caſtiliam.*

Contra Heſperium *promont. hodie* C. Verde, *ſunt Inſulæ* x, Heſperides *olim &* Gorgones *dictæ*, (*Hollandis à ſalis copia appellantur* die Saltz Inſeln,) *primaria inter eas eſt Inſula* S. Jacobi *ſive* S. Jago, *ubi Luſitanorum colonia.*

In Mari Æthiopico, *ſub ipſa linea æquinoctiali eſt* 1. Inſula D. Thomæ. Hæc à Luſitanis feſto D. Thomæ inventa, hoc nomen ſortita eſt. Forma ejus penerotunda eſt, diametrum habens LX. mill. Luſitani in ea urbem *Tavoaſam* exſtruxerunt. Omnis Inſula aëris eſt inſaluberrimi, morbus in ea vulgaris, qui in corporibus humanis omnem pinguedinem liquefactam in unum locum congerit. Sacchari ſed non melioris (*Thomas Zucker*) uber hic fuit proventus, qui hodiè multum deſiit, quod vermes arundinum radices exedunt.

2. Inſ. Principis, *proventu ſacchari celebris.*

nomen obtinuit, quod, ubi inventa, reditus ex ea Principi Portug. aſſignati fuerint.

3. Inſula Anni-boni, *tribus gradibus ultra Æquatorem ſita*. Dicitur etiam *Annobon*, quod cum auſpicio novi anni primùm inventa fuerit. Incolæ hic deficiunt, fortè propter venenoſa animalia; hic Crocodilorum, xx ulnarum, reperitur magna copia, noctu aquam, diu humum amantium.

4. *Inſula* S. Matthæi. 5. *Inſ.* Aſcenſionis. 6. *Inſula* S. Helenæ, *incolis deſtituta ſed fructibus & animalibus abundans, ideoque in Indiam navigantibus, vel inde redeuntibus gratiſſima.*

In mari Rubro, vel ſinu Barbarico & mari aſpero, *eſt Inſ.* S. Laurent. *incolis* Madagaſcar.

Sita hæc eſt ſub Tropico Capricorni, longit. CCL. latitud. LXXX. milliar. Germ. variis aromatibus opulenta.

Ad fauces ſinus Arabici *juxta promontorium* Gradafuy *eſt Inſula* Sacotara, *aloën optimam progenerans, quæ in diverſa loca evehitur.*

CAPUT XVIII.

De AMERICA IN GENERE.

T*Antum de tribus veteribus mundi partibus. ſequitur Nova & ultima, quæ dicitur* novus orbis, *ob magnitudinem, cum Europa, Aſia, Africa ſimul ſumptis ferè æqualis ſit. Communi nomine dicitur* AMERICA, *ab Americo Veſputio Florentino Italo altero ſuo repertore* (nam primus fuit Chriſtoph. Columbus Genuenſis, cui in prima navigatione comes erat Americus Veſputius) *anno* 1497. *dete-*

cta

cta. Dicitur etiam INDIA OCCIDENTALIS, *quod eodem tempore hæc inventa, quo India Orientalis à Luſitanis.*

Inventionis videamus occaſionem: *Columbus Genuenſis* ſæpius in Portugalliam navigans obſervavit certis anni temporibus, ventos ex Occid. quoſdam flare & æquabili tractu multos aliquot dies ſpirare; quod pro argumento habuit, eos ex tranſmarina aliqua regione venire, ideoque judicavit, terram adhuc aliquam in illa plaga, unde venti flabant, ſupereſſe, uſque dum incolis Europæis, aliiſque incognitam. Supplicando itaque apud Genuenſes, Henricum VII, & Alfonſ.V. Portug. Reges obtinere voluit, ut eorum ſumptibus & navibus ob rei hujus certitudinem tranſmarinam illam regionem indagare poſſet. Verùm ab illis omnibus irriſus ob rem, quam proponebat, incredibilem, ad Ferdinandum Arrag. & Caſtiliæ Regem ſe contulit, à quo intercedente Regina Iſabella tres naves impetravit, quibus anno 1492 Gadibus Hiſpaniæ ſolvens occidentem verſus iter fecit. Primam Inſulam, poſt periculoſiſſimam navigationem, invenit *Gunao* cui ille dato nomine *Deſiderata*, pro memoria Chriſtiani nominis crucem altiſſimam poſuit. Ex hac inſula delatus eſt in Inſulam *Heitii*, quam *Iſabellam* in memoriam reginæ ſuæ, & poſtea *Hiſpaniolam* nominavit. Inde in portum Regium venit, ubi S. Dominici & Iſabellæ coloniæ. Ex Hiſpaniola in Cubam venit, quam Johannam nominavit, ubi Havana portus

commodiſſimus, in quem è Peruvia & Mexicana naves in Europam euntes divertunt. Poſt inventæ ſunt Jamaica, & Boriquen Inſulæ, & aliæ, de quibus infrà. Sufficiant hæc de occaſione inventi novi orbis; legantur Scriptores diverſi de America, quos videre habes in bibliotheca hiſtorica Bolduani, quibus noviſſimus Johannis de Laet Americæ deſcriptionem adjicimus. Sed videamus nunc ipſam Americam.

Americæ conſiderabimus Terminos, Magnitudinem, *&* Partes.

Terminos *ab ortu habet mare Atlanticum, ſive* Mare del Nort; *à Meridie Inſulas Magellanicas, freto interluente diſtinctas; ab Occaſu mare Pacificum ſive* mare del Zur, *à Septentrione litus adhuc Europæis eſt incognitum, num ibi ſint terræ vel maria.*

Magnitudo *quâ longitudinem inter duo freta* Anian *&* Magellanicum *eſt* 2400 *milliarium Germanicorum; quâ latitudinem inter Cabo de Fortuna prope fretum* Anian, *& Cabo de Breton, in nova Francia, quæ duo ſunt promontoria, eſt* 1300 *milliarium Germanicorum.*

Partes Americæ faciemus Continentes *&* Inſulas.

CAPUT XIX.

De continentibus Americæ *partibus.*

P*Artes* AMERICAE *ſunt duæ:* Septentrionalis, *&* Meridionalis; *utraque exiguo Iſthmo connectuntur, intra Veraguam & Car-*

& Cartagenam interjacente, ubi Pamana & puerto Belo.

Septentrionalis *uſitatè appellatur* Mexicana. *Ejus provinciæ litoribus Oceani adjacent, & longiſſimo tractu inter ſe diſtinguuntur partim* ad mare del Nort, *partim* ad mare del Zur.

Ad mare del Nort *ſitæ ſunt* 1 CANADA, *à fluvio & urbe cognomine ſic dicta, in ſe habens* Eſtotilandam, Terram de Laborador, *&* terram Cortercalem, *quæ à Caſparo Corterea-li inventa eſt.*

2. NOVA FRANCIA, *ubi* Accadia, *in qua* porto reale *&* Norumbega, *utraque paret Gallorum Regi.*

3. VIRGINIA, *quæ ab Eliſabetha Regina Angliæ Virgine nomen traxit, ut vult expeditio Draci anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto, urbes ibi* Pomejock, *ſive* VVeapemeoc, *&* Secota. *Dividitur in novum Belgium, ubi* N. Amſterodamum, Helſegat, Fort-Orenge, *& alia; & novam Angliam, ubi nova* Pleimouth *& aliæ Anglorum coloniæ.* Vide relationem Thomæ Harioti & deſcriptionem Joannis VVyts, nec non alios novos authores, ut Joannis de Laet Indiam Occidentalem.

4. FLORIDA, *nomen habent à Dominica Palmarum (Hiſpanis* Paſcua de Flores) *quod eo die detecta fuerit. Hiſpanorum in ea propugnacula ſunt* D. Matthæi *non longè à Cabo S. Helenæ, &* D. Auguſtini, *ad flum. May, hodiè* S. Auguſtin.

5. NOVA HISPANIA, *regio hæc magna eſt, & varias habet provincias.*

MEXICO, *cum Metropoli cognomine* ubi Proregis Hiſpan. & Archiepiſcopi ſedes, tribunal ſupremum, officina monetaria, librorumque impreſſio *anno* 1524 *à Ferdinando Corteſio expugnata. Item* Acapulco *ubi Portus maris del Zur. Ei cohæret* PANUCO, *ſub Tropico Cancri, ubi urbs S. Stephani.* Tlaſcala *&* Angelorum civitas; *portus præcipuus in ſinu Mexicano eſt* S. Jean de Ullua. MECHOACAN, *cujus Metropolis* Valladolid, *incolis* Guayangareo, *aliæ ſunt* S. Michaëlis, S. Philippi, Conception de Salaya, Leon, Zamora, *&c.* GUAXACA, *ubi* Antequera, S. Illifonſo de los Zapotecas, S. Jago, Villa del Eſpiritu Santo. TABASCO, *ubi urbs* Vitroria. YUCATAN, *ubi* Merida, Valladolid, Campeche, Salamanca.

